TRADITIO RABBINORUM VETERRIMA

DE

LIBRORUM VETERIS TESTAMENTI

ORDINE ATQUE ORIGINE.

COMMENTATIO EXEGETICO-CRITICA

QUAM

SUMME VENERANDI THEOLOGORUM ORDINIS

AUCTORITATE

IN ACADEMIA LIPSIENSI

AD VENIAM LEGENDI RITE IMPETRANDAM

PUBLICI JURIS FECIT

GUSTAVUS HERMANNUS DALMAN,

THEOL. LIC., PHIL. DR.



LIPSIAE

MDCCCXCI.

Vita.

Ich, Richard Louis Le Mang, bin geboren am 3. Januar 1865 in Chemnitz als Sohn des Eisenbahnbeamten Richard Le Mang und bin evangelisch-lutherisch getauft. Infolge der Berufung meines Vaters nach Österreich und seiner Übersiedelung nach Czernowitz in der Bukowina erhielt ich den ersten Unterricht von meiner Mutter. Später besuchte ich die protestantische Hauptschule in Wien. Nach der Rückkehr meines Vaters nach Sachsen war ich Schüler des Freimaurerinstitutes und des Privatinstitutes des Herrn Dr. Zeidler in Dresden. Zuletzt besuchte ich das Gymnasium Albertinum in Freiberg, das ich Ostern 1886 mit dem Zeugnisse der Reife verließ, um in Leipzig Geschichte und Germanistik zu studieren. Hier hörte ich die Vorlesungen der Herren Professoren Arndt, v. Bahder, Biedermann, Brentano, Brugmann, Heinze, Hildebrand, Körting, Masius, Maurenbrecher, Ratzel, Richter, Strümpell, Voigt, Wachsmuth, Wundt und Zarncke, sowie der Herren Dozenten Kögel und Loofs. Während mehrerer Semester nahm ich an den Übungen und Seminarien der Herren Arndt, v. Bahder, Maurenbrecher, Strümpell und Zarncke teil, denen allen ich mich für die vielen Förderungen und mannigfachen Anregungen tief verpflichtet fühle. Ganz besonders gilt aber mein Dank Herrn Professor Maurenbrecher, der diese Arbeit nicht nur angeregt, sondern auch mit seiner Teilnahme stets begleitet hat.

TRADITIO RABBINORUM VETERRIMA

DE

LIBRORUM VETERIS TESTAMENTI

ORDINE ATQUE ORIGINE.

COMMENTATIO EXEGETICO-CRITICA

QUAM

SUMME VENERANDI THEOLOGORUM ORDINIS

AUCTORITATE

IN ACADEMIA LIPSIENSI

AD VENIAM LEGENDI RITE IMPETRANDAM

PUBLICI JURIS FECIT

GUSTAVUS HERMANNUS DALMAN,

THEOL. LIC., PHIL. DR.



LIPSIAE

MDCCCXCI.

Praefatio.

Haec commentatio, quae anno 1883 Ordini Theologorum Lipsiensi digna visa est, ut in scriptorem honos Licentiati Theologiae conferretur, jam anno 1884 typis excusa prodiit. Nunc decretum benignum ejusdem Ordinis summe venerandi, hoc opusculum etiam ad veniam legendi in Academia Lipsiensi impetrandam satisfacere, causa fuit iteratae editionis, quam sine correctionibus emendationibusque nonnullis emittere nequivimus.

G. D.

Addenda et Corrigenda.

Pag. 6[4] adde Riehm, Einl. i. d. A. T. I 63, II 369; Buhl, Kanon u. Text d. A. T. 5. 38 ss.; Cornill, Einl. i. d. A. T. 280. H. 1. debuimus mentionem facere dissertationis Wolffii multis ignotae de ordine libr. V. T. in ejus Biblioth. Hebr. II.

12 [13] Milchamoth.

16 [8] הרימן; [13] זאת.

17 [4] עליך.

22 [11] leg. „satiavit“ pro „perfudit“; [22] adde post Cant. Cant. „et Ecclesiasten.“

23 [1] adde post Duodecim „Danielem“; [4. 21] Rabhi pro Rabbi; not. 4 Juda ben-Ilaï.

24 [13] dicam; [15] at oportuit dici.

25 [9] Rabha; [19] num exsistebat? immo fabula est; not. 7 del. Rabba b. Nachmani, leg. Rabha b. Joseph b. Chama.

28 [10] cf. jer. Meg. III, 1; not. 1 lin. 2 בפני, lin. 3 עצמו; not. 3 del. „aut R. Juda b. Bethera“.

31 [15] dele θεῖα; [32] dicit.

35 [16] add. Dillmann, Der Prophet Jesaja XXVII, Cornill, Einl. 153, aliter Delitzsch, Jesaja [4] 17; [20] quo; [21] Jesaja; [27] Jesajae.

36 not. 3 Diqduqe ha-Teamim.

38 not. 2 leg. Kamphausen pro Wellhausen.

39 [9] Sepher ha-Kabbala; not. 5 cf. Buhl, Kanon 4 ss.; not. 6 cf. jer. Sot. IX, 14 „prophetae priores et posteriores“.

41 [18] cf. jer. Sot. V fin.; not. 3 vide etiam Riehm, Einl. II 369; not. 6 cf. Meg. 7[b], Jom. 29[a].

42 [2] cf. Brüll, Jahrbücher IV 165 ss.; [18] vide Frankel in Graetz, Monatsschrift XXI 306 ss.; Zunz, Gottesd. Vorträge 62. 64. 80; jer. Sabb. XVI, 1; babl. Sabb. 115[a]; Sophr. V, 15; Tosephta Sabb. 14.

43 [1] בר; [3] vid. Targ. jer. I Gen. 36, 32; [4] cf. Sot. 11[a], Sanh. 106[a].

44 [7] conamur.

49 [6] וסיעתו.

50 not. 2 Diqduqe.

52 [12] leg. „ex“ pro „et“; not. 2. 6 Sepher; not. 5 „et Davidis Altschuler“ pro „er Jechielis Hillel“.

53 not. 3 Sepher; not. 5 Diqduqe.

54 [4] נחמיה; [15] cf. ספר יחוסיא פתגמי יומיא Targ. ms. Erfurt. et Geiger's Jüd. Zeitschrift VIII 137, ספר יוחסין ודברי הימים Comm. z. Chron. ed. Kirchheim 3; מדרש ספר היחסין babl. Pes. 62[b], jer. Pes. V, 3.

55 not. 5 sec. XI.

58 not. 2 הלכה.

59 [5] sec. XVI.

60 [14] et not. 2 Diqduqe; not. 1 add.: Hic usus lectionis V Hagiographorum minorum, si excipis librum Esterae, non admodum vetus est. Non enim ejus mentio fit in Talmudibus, commemoratur autem Sophr. XIV, 3. 18; Mordechaj, Meg. 783; Abudarham, Seder Pesach; Schulchan Arukh, Orach Chajjim 490.

Omnes recentiores Introductores in libros Veteris Testamenti ab J. G. Eichhornio,[1] Joh. Jahnio,[2] J. Chr. W. Augusti,[3] usque ad H. A. Chr. Haevernickium,[4] W. M. L. de Wette,[5] C. F. Keilium,[6] Fr. Bleekium,[7] Ed. Reussium[8] traditionis cujusdam faciunt mentionem Talmudicae quae agat de librorum Veteris Testamenti ordine atque origine.

Haec traditio, quam reperimus exscriptam in Talmudis Babylonici Tractatu Baba bathra fol. 14[b] et 15[a], una est de traditionibus academiae Tiberiensis patriarchae (הנשיא) Judae I cognomine ha-Kadosch (sec. II p. Chr. n.), quibus ut non receptis in codicem Mischnae nomen בָּרַיְתָא i. e. extraneae scil. traditionis datum est. Pauci hucusque hanc Barajtham diligentius perscrutati sunt, seorsus eam tractare nondum quisquam suscepit. Nobis vero digna visa est, quae subtilius investigetur.

Primum describemus Textum Barajthae atque Gemarae ei adjunctae emendatum, cui lectionum variantium collectionem adjiciemus. Rationem, quam secuti textum emendavimus, in introductione textui praemissa profitebimur (pag. 7—19).

Deinde versionem Barajthae Gemaraeque perhibemus, notis instructam, quibus ea sermonis Talmudici verba explicantur, quae explicationem requirere visa sunt (pag. 20—27).

---

1) Vide ejus „Einl. i. d. A. T.“ ed. II. 1787. p. 39. 82. 83.
2) Vide ejus „Introd. in libr. s. V. Foed.“ 1804. p. 144.
3) Vide ejus „Grundriss einer hist. krit. Einl.“ 1806. p. 70.
4) Vide ejus „Handb. d. hist. kr. Einl.“ 1836. T. I. p. 39. 40.
5) Vide ejus „Lehrb. d. hist. kr. Einl.“ ed. VIII. 1869. p. 15. 16.
6) Vide ejus „Lehrb. d. hist. kr. Einl.“ ed. III. 1873. p. 500.
7) Vide ejus „Einl. i. d. A. T.“ ed. IV. p. 355. 447. 8.
8) Vide ejus „Gesch. d. Bb. d. A. T.“ 1881. p. 716.

Tertio interpretaturi sumus singulas Barajthae sententias, praefati nonnulla de nexu, quo conjungitur Barajtha cum iis quae antecedunt, atque de ejus origine (pag. 28—57).

Postremo de auctoritate disseremus quam habuerit Barajtha postmodo apud Judaeos (pag. 58—60).

In ipsa commentatione nos mentem Barajthae certissime assequi posse censuimus, si ea potissimum respiciamus, quae ipsi libri sacri de origine sua pronuntiare videbantur. Secundariam auctoritatem attribuimus testimoniis Talmudum, et Babylonici et Hierosolymitani, Paraphrasium Chaldaicarum (Targumim) et Midraschorum, e quibus deprompsimus, quae traditionem veterrimam atque latissime vulgatam reddere visa sunt.

I.

Barajthae Gemaraeque Textus.

Nemo est qui ignoret, eum Talmudis Babylonici textum, quem perhibent recentiores editiones, quotquot hoc seculo prodierunt, satis depravatum esse atque corruptum. Ne primae quidem Talmudis editiones, initio seculi sexti decimi Venetiis emissae, ex accurata complurium codicum manuscriptorum collatione profectae sunt. Reliquae ejusdem seculi editiones primarum illarum textum modo diligentius, modo negligentius repetiverunt. Quarum una, quae Basileae ab anno 1578 ad annum 1581 excusa est, a Marco Marino Brixiensi et Petro Cevallerio Genevensi censoribus correctionem subiit omnibus locis, qui ad Christianos sive spectant sive spectare videbantur. Posteriorum autem editionum nulla omnes omnino censorum Basileensium correcturas removit. Inter quas Talmud Francofurti ad Moenum ad lucem editum ab anno 1720 usque ad annum 1723 tantam est assecutum auctoritatem, ut omnes editiones et hujus seculi et prioris hoc exemplar imitari studerent, cujus textui propterea nomen textus recepti jure imponimus.

Raphael Rabbinowicz primus ad codices manuscriptos in bibliothecis asservatos rediit, eosque et inter se et cum veterrimis editionibus et cum textu recepto contulit. Ingenti illo opere, cui inscripsit „Variae lectiones in Mischnam et in Talmud Babylonicum“ fructum indefessi laboris offert omnibus qui verum Talmudis textum explorare student. Ipse autem, quas lectiones existimet optimas, nusquam dicit, tantum quod interdum addit siglum ט"ס, i. e. טעות סופר (mendum librarii), indicans, hanc illamve lectionem omni auctoritate carere.

Apparatu critico, quem Rabbinowicz collegit, usi, genuinum textum loci tractatus Babae bathrae a nobis tractandi exquisituri sumus.

Errabit autem, qui effici posse putet, ut textum eam redigamus in formam, quam dederunt ei seculo sexto doctores illi, quos Saburaeos vocant Judaei. Veterrimus enim codicum, quos novimus, duodecimo seculo aetate inferior est. Salomonis ben-Isaac Trecassini commentarii in Talmud et Rabbinorum quorundam scholia, quae Tosaphoth appellantur, textum undecimi et duodecimi seculi exhibent. At horum ipsorum interpretum textus adhuc examinatione critica caret. Restant fere quingenti anni, quibus textus Talmudici historiam persequi omnino non possumus. Hoc unum scimus, illum nequaquam pari conservatum esse diligentia atque textum Veteris Testamenti. Nam in academiis Pumbadithae ac Surae florentibus doctores illi seculi VI usque ad X, quos Geonaeos appellant Judaei, non utebantur scriptis Talmudis exemplaribus tanquam fundamentis institutionis, sed ex memoria referre solebant effata illic collecta. Ita effecerunt, ut nemo disceptationes Gemarae sententiasque Amoraeorum, quae ad Legem pertinent, continuare vel augere auderet; neque tamen prohibere potuerunt, quominus discipuli textum Talmudis multis locis planiorem et magis perspicuum reddere studerent. Unde factum est, ut non sermonem solum mutarent vel verba ei interponerent, quin etiam materiam ipsam locupletare ausi sunt, narrationes inserentes atque exempla vel e Talmude, vel e libris aliis, vel e traditione orali depromta. Hujusmodi correcturas et additamenta removere non possumus. Subsidia nobis desunt. Id unum, qui non conjecturis gaudet, assequi poterit, ut textum, qui seculo tredecimo et quartodecimo fuit optimus, restituat.

At hic quoque haud exigua oritur difficultas eo quod illorum seculorum codices nonnullis locis tantam exhibent lectionum varietatem et discrepantiam, ut quae sit optima ceterisque praestantior pro certo dici non possit. Suspicari duntaxat licebit, eas lectiones esse veterrimas atque principi textui certe proximas, quae paucis dicunt verbis, quod multis aliae. Cum autem novam textus recensionem non meris suspicionibus niti debere

judicemus, eas tantum recipiemus lectiones, quas optimorum codicum testimonio confirmari censemus.

In verbis, inprimis syllabis finalibus scribendis et in usu matrum lectionis, cum jam codicum manuscriptorum scriptores certam rationem ordinemque non sint secuti, aequabilitatem quandam et constantiam assequi studebimus. Adnotare autem tales textus recepti correctiones supersedebimus. —

Adnotationi criticae praemittimus conspectum codicum manuscriptorum librorumque typis excusorum, quos Rabbinowicz ad tractatum Baba bathra contulit cum textu recepto. Adscripta sunt sigla, quibus utentes, lectiones singulas introducemus. Asteriscum apponemus lectionibus illis, quas existimavimus recipiendas.

Index librorum et manuscriptorum et typis excusorum, quorum in adnotatione critica fit mentio.

I. Codices.

F. Florentinus bibliothecae nationalis Florentinae, scriptus ut videtur, anno 4936 post creationem mundi (i. e. anno 1176 post Chr. n.), continet tractatus Baba bathra, Sanhedrin, Schebuoth, exceptis aliquot foliis, quae in Baba bathra et Sanhedrin tractatibus exciderunt.

H. Hamburgensis bibliothecae Hamburgensis, confectus anno 4944 (1184) Geronae, continet tractatus Baba kamma, Baba mezia, Baba bathra; duo folia in Baba bathra desunt.

V. Vaticanus bibliothecae pontificiae Vaticanae, scriptus, ut Rabbinowicz existimat, seculo sexagesimo (i. e. intra annos 1240 et 1340), continet tractatus Baba mezia et Baba bathra et folium unum e Baba kamma.

M. Monacensis e bibliotheca regia Monacensi, ad finem perductus mense Tebeth anni 5103 (1343), continens praeter Barajtham de Tabernaculi constructione et libellum Seder Olam rabba Talmud integrum, exceptis compluribus foliis tractatuum Pesachim et Challa, paucis in tractatibus Jebamoth et Menachoth.

O. Oxoniensis bibliothecae Bodlejanae continet tractatum Baba bathra a folio 9 ad folium 78. Quo tempore sit confectus, pro certo dici nequit.

II. Editiones.

Pis. Pisaurensis. Tractatus Baba bathra typis exscriptus cura doctoris Gersom ben-Mose in oppido Pisauri anno 5270 (1510).

Bomb. I. Bombergensis prima. Talmud totum ab anno 5280 ad annum 5283 (1520—23) editum cura Danielis Bombergi Veneti.

Bomb. II. Bombergensis altera. Prodiit ab anno 5288 ad annum 5291 (1528—31).

Just. Justiniana, typis exscripta ab anno 5306 ad annum 5311 (1546—51) in officina Marci Antonii Justiniani Veneti.

Lubl. I. Lublinensis prima, ad exemplar Justinianae Lublini confecta anno 5336 (1576).

Lubl. II. Lublinensis altera, ab anno 5376 ad annum 5380 (1616—20) edita ad Cracoviensem primam.

Crac. I. Cracoviensis prima, quae Cracoviae prodiit ab anno 5362 ad annum 5365 (1602—5), ad exemplar Justinianae nec non Basileensis confecta.

Crac. II. Cracoviensis altera, typis exscripta ab anno 5376 ad annum 5380 (1616—20).

III. Alii Testes.

Agt. Seder Agadoth ha-Talmud, Constantinopoli typis exscriptum anno 5371 (1611).

En J. En Jakob. Editio prima Thessalonicensis anni 5376 (1616). Librum ipsum Jacob ben-Chabib composuerat circa annum 1510, Hispaniensibus Talmudis exemplaribus usus (vide praefationem ejus).

Jalk. m. Jalkut manuscriptum, in Hispania confectum seculo sexagesimo ut videtur (i. e. intra annos 1240 et 1340).

Jalk. ed. Jalkuti editio, Thessalonicae typis excusa anno 5386 (1626). Auctor libri est Simeon Aschkenazi Francofurtensis aut Simeon Kara quarto decimo aut decimo seculo post Chr. n.

Jad R. Jad Ramah. Commentarii in Baba bathra, quos scripsit Meïr ben-Todros ha-Levi Abulafia Toletanus seculo tertio decimo. Praesto ei fuerunt exemplaria Talmudis pervetusta (vide Maggid Mischna in Maimonidis Hilchoth Malveh veloveh cap. 15). Typis exscriptum hoc opus prodiit Thessalonicae anno 5563 (1803).

Raschi. Commentarii Salomonis ben-Isaac, qui anno 1106 e vita excessit.

Tos. Additamenta (Tosaphoth) ad hos commentarios, intra annos 1150 et 1250 conscripta a Rabbinis Francogallicis, inprimis Salomonis ben-Isaac duobus nepotibus Samuele et Jacobo ben-Meïr, quem Rabbenu Tam appellant Judaei. Et Salomo et nepotes ejus usi sunt exemplari Talmudis, quod Rabbi ille illustris Gersom ben-Jehuda Magontiacensis confecerat circa annum 1000 (vide Raschi ad tract. Sukka f. 40[a], Tos. ad tract. Menachoth f. 65[b]. 21[a]. 30[b].). At Tosaphistae in Babyloniam etiam miserunt, qui Geonaeorum exemplaria cum ipsorum textu conferrent (vide Mosis Nachmanidis Milchemeth Jahveh ad Pesachim 30[a]). Hos Raschii Tosaphistarumque commentarios sic citamus, uti editio Vindobonensis anni 1843 eos exhibet. Correximus autem, quae Rabbinowicz ad editionum antiquarum exemplar jure judicat corrigenda.

Textus.

ת״ר סדרן של נביאים יהושע [1]שופטים שמואל [1]מלכים ירמיה [1]יחזקאל ישעיה [1]שנים עשר:

מכדי הושע [2]קדים דכתיב תחלת דבר ה׳ בהושע· וכי [3]עם הושע דבר תחלה והלא ממשה ועד הושע [4]כמה נביאים היו· [5]א״ר יוחנן [6]תחלה לארבעה נביאים שנתנבאו באותו הפרק [7]ואלו הן הושע וישעיה עמוס ומיכה· וליקדמיה להושע ברישא· כיון דכתיב נבואתיה [8]גבי חגי זכריה ומלאכי [9]וחגי זכריה ומלאכי סוף נביאים הוו חשיב ליה בהדיהו· וליכתביה [10]לחודיה וליקדמיה· [11]איידי דזוטר מירכס: [12]מכדי ישעיה קדים מירמיה [13]ויחזקאל ליקדמיה לישעיה [14]ברישא· [15]כיון דמלכים סופיה חורבנא וירמיה כוליה חורבנא ויחזקאל רישיה חורבנא וסיפיה נחמתא וישעיה כוליה נחמתא [16]סמכינן הורבנא [17]לחורבנא [18]ונחמתא [17]לנחמתא:

---

1) Rec. ו ante שופטים, מלכים, יחזקאל, שנים עשר; omittunt* F. H. V. M. O. Agt. En J. Lubl. I. — 2) Rec. קדים; V. O. Lubl. I קדים לישעיה.

3) Rec. עם הושע; V. O. בהושע. — 4) Rec. כמה; O. רבים.

5) Rec. וא״ר; F. H. M. Agt. Jalk. m. Pis. Bomb. I. II. Just. א״ר*.

6) Rec. שהיה תחלה; F. H. M. Agt. Jalk. m. תחלה*.

7) Rec. ואלו הן; H. Jalk. m. om, — 8) Rec. גבי; V. O. בהדי.

9) Rec. וחגי זכריה ומלאכי סוף נביאים היו; V. O. דבסוף איתנבו כתביה נבואתיה בהדי חגי זכריה ומלאכי; H. em. וחגי זכריה ומלאכי. Rec. סוף; H. לסוף. — 10) Rec. לחודיה; V. O. באפי נפשיה.

11) Rec. איידי; V. O. כיון.

12) Rec. מכדי ישעיה קדים כו׳ מלכים; V. O. וליקדמיה לישעיה מקמיה ירמיה ויחזקאל אלא לאו היינו טעמא מלכים.

13) Rec. ויחזקאל; om. H. Pis. Agt. En J. Jalk. m. Jad R.

14) Rec. ברישא; H. om. — 15) Rec. כיון; F. אלא כיון.

16) Rec. סמכינן; V. O. סמוך.

17) Rec. לחורבנא, לנחמתא; O. אחורבנא, אנחמתא.

18) Rec. ונחמתא; V. O. וסמוך נחמתא.

[1]סדרן של כתובים רות [2]וספר תילים ואיוב [3]ומשלי קהלת [4]שיר השירים וקינות דניאל ומגילת אסתר עזרא ודברי הימים:

ולמאן דאמר איוב בימי משה היה ליקדמיה [5]לאיוב ברישא· אתחולי בפורענותא לא מתחלינן· [6]רות נמי פורענות· [7]היא [8]פורענות דאית ליה אחרית [9]דאמר רבי יוחנן למה נקרא שמה רות· שיצא ממנה דוד שריוהו להקב"ה בשירות ותושבחות:

ומי כתבן· משה כתב ספרו [10]ופרשת בלעם ואיוב· יהושע כתב ספרו [11]ושמונה פסוקין [12]שבתורה· שמואל כתב ספרו [13]וספר שופטים ורות· דוד כתב [14]ספר תילים ע"י עשרה זקנים [15]ע"י אדם הראשון [15]ע"י מלכיצדק [15]וע"י אברהם [15]וע"י משה [15]וע"י הימן [15]וע"י ידותון [15]וע"י אסף [15]וע"י שלשה בני קרח· ירמיה כתב ספרו וספר מלכים וקינות· חזקיה וסיעתו כתבו [16]ישעיה משלי שיר השירים וקהלת· אנשי כנסת הגדולה כתבו [17]יחזקאל ושנים עשר דניאל ומגלת אסתר· עזרא כתב ספרו [18]ויחס [19]בדברי הימים עד [20]לו:

---

1) Rec. סדרן; F. Agt. En J. Jalk. m. ת"ר סדרן.

2) Rec. וספר תהלים; V. M. O. Pis. Agt. וספר תילים*; H. En J, Jad. R. ותהלים. — 3) Ree. ומשלי; V. M. משלי.

4) Rec. שיר השירים; H. M. ושיר השירים.

5) Rec. לאיוב ברישא; V. O. om. — 6) Rec. רות נמי; V. O. והא רות.

7) Rec. היא פורע' כו' אחרית; H. פורענותא היא דאית לה אחרית.

8) Rec. פורענות; om O. — 9) Rec. דא"ר יוחנן; F. om; V. O. אמר.

10) Rec. ופרשת בלעם ואיוב; H. וספר איוב ופרשת בלעם.

11) Rec. ושמונה; O. וכתב שמונה. — 12) Rec. שבתורה; H. מן התורה.

13) Rec. ושופטים; F. V. H. M. Agt. En J. Jalk. m. Raschi. וספר שופטים*; O. וכתב ספר שופטים. — 14) Re. ספר תילים; V. O. Agt. ספרו.

15) Rec. ע"י; om. O.; item V. Agt., si excipis ע"י אדם. Rec. ע"י אדם; F. Agt. Jad R. וע"י אדם. Rec. ע"י מלכיצדק; F. H. וע"י סלכיצדק. Ordo in Rec. אברהם משה הימן ידותון אסף; V. Agt. אברהם אסף הימן ידותון משה; O. אברהם הימן [in margine אסף] ידותון משה; F. cf. Tos. אברהם איתן האזרחי הימן ידותון משה אסף. Tos.: „sunt qui legant שלמה et omittant אסף".

16) Rec. ימש"ק סימן; F. H. M. O. om.* V. om. סימן.

17) Rec. קנד"ג סימן; M. O. om.* V. om. סימן.

18) Rec. ויחס של דה"י; F. ובדברי הימים.

19) Rec. של דברי הימים; H. M. O. F. Agt. Jad R. בדה"י*.

20) Rec. לו; om. V.

[1]מסייעא ליה לרב דאמר רב יהודה אמר רב לא עלה עזרא מבבל עד שיחס עצמו ועלה· ומאן אסקיה· [2]נחמיה בן חכליה:

[3]אמר מר יהושע כתב ספרו [4]ושמונה פסוקים [5]שבתורה· [6]תניא כמאן דאמר שמונה פסוקים שבתורה יהושע כתבן [7]דתניא וימת שם משה עבד ה׳ איפשר משה [8]חי וכתב וימת [9]שם אלא עד כאן כתב משה מכאן ואילך כתב יהושע· דברי [10]ר׳ יהודה ואמרי ליה ר׳ נחמיה· אמר לו [11]ר׳ שמעון איפשר ספר תורה חסר אות אחת וכתיב לקוח את ספר תורה הזה אלא עד כאן הקב״ה [12]אומר ומשה [13]כותב מכאן ואילך הקב״ה [14]אומר ומשה כותב [15]בדמעות כמו שנאמר להלן ויאמר להם ברוך בפיו יקרא [16]וגו׳· [17]כמאן אזלא הא· דאמר ר׳ יהושע [18]בר אבא אמר רב גידל אמר רב שמונה פסוקים שבתורה יחיד קורא אותן· לימא [19]דלא כר׳ שמעון· אפילו תימא ר׳ שמעון [20]הואיל ואשתני אשתני:

[21]יהושע כתב ספרו· והכתיב וימת יהושע בן נון עבד ה׳ דאסקיה אלעזר· והכתיב ואלעזר בן אהרן מת דאסקיה [22]פנחס

---

1) Rec. מסעיא ליה לרב כו׳ בן חכליה; haec verba V. O. omittunt hoc loco, habent autem ea post תרי הימן הוו.

2) Rec. נחמיה בן חכליה; V. O. אתא נחמיה בן ח׳ וסיימיה.

3) Rec. אמר מר; om. H.

4) Rec. ושמונה פסוקים כו׳ פנחס; M. והכתיב וימת יהושע כו׳ דאסקיה פנחס וזקנים תניא כמאן דאמר כו׳ הואיל ואשתנו אשתני:. Rec. ושמונה פסוקים; O. וכתב שמונה פסוקים. — 5) Rec. שבתורה; H. מן התורה.

6) Rec. תניא; om. H.; O. תנא.

7) Rec. דתניא; F. דת״ר; H. V. O. Agt. דכתיב, quod pro correctura habendum est. — 8) Rec. מת; F. H. M. Agt. Jalk. m. Jad R. חי*; V. O. קיים.

9) Rec. שם משה; om. F. M. En J.; O. V. om. משה*.

10) Rec. ר״י; H. V. ר׳ מאיר. — 11) Rec. ר״ש; V. O. ר״ש בן יוחי.

12) Rec. אומר; H. אומר למשה.

13) Rec. אומר וכותב; F. V. H. M. O. Agt. Pis. Lubl. I. Jad R. כותב*.

14) Rec. אומר; H. אומר למשה.

15) Rec. בדמע; F. V. H. M. O. Agt. Pis. Lubl. I. Jad R. בדמעות*.

16) Rec. אלי את כל כו׳ בדיו; F. V. H. M. O. Agt. Pis. Lubl. I. Jad R וגו׳*.

17) Rec. כמאן אזלא הא כו׳ אשתני; H. om., sed habet in margine.

18) Rec. בר; V. O. בן.

19) Rec. ר״י היא ודלא כר״ש; F. V. H. M. O. Agt. En J. Jad R. דלא כר״ש*.

20) Rec. הואיל ואישתני; H. כיון דאישתני.

21) Rec. יהושע כתב ספרו כו׳ נתן הנביא; V. O. אמר מר יהושע כתב ספרו והכתיב יהושע מת דאתא אלעזר וסיימיה והכתיב אלעזר מת דאתא פנחס וזקנים וסיימוה שמואל כו׳ מת דאתא גד כו׳ הנביא:; F. Agt. Jad R. יהושע כתב ספרו והכתוב כו׳ פנחס וזקנים כמאן אזלא כו׳ אשתני:.

22) Rec. פנחס; F. V. H. M. O. Agt. Jalk. m. Jad R. פנחס וזקנים*.

וזקנים: [1]אמר מר שמואל כתב ספרו · והכתיב ושמואל מת דאסקיה גד החוזה ונתן הנביא: [2]אמר מר דוד כתב [3]ספר תילים ע"י עשרה זקנים · [4]וליחשוב נמי איתן האזרחי · [5]אמר רב איתן האזרחי [6]זה אברהם כתיב הכא [7]איתן האזרחי וכתיב התם מי העיר ממזרח[8] · ואימא יעקב דכתיב ויזרח לו השמש ההוא מבעי ליה שמש הבאה בעבורו זרחה בעבורו: קא חשיב [9]משה וקא חשיב [10]הימן · והא אמר רב הימן זה משה כתיב הכא הימן וכתיב התם בכל ביתי נאמן הוא · תרי הימן [11]הוו:

אמר מר משה כתב ספרו [12]ופרשת בלעם ואיוב · מסייעא ליה לרבי לוי בר [13]לחמא · דאמר [14]ר' לוי בר לחמא איוב בימי משה היה כתיב הכא מי יתן איפוא ויכתבון מילי · וכתיב התם ובמה יודע איפוא: ואימא [15]יצחק [16]דכתיב מי איפוא הוא הצד ציד · ואימא [15]יעקב [16]דכתיב אם כן איפוא זות עשו · ואימא [15]יוסף [16]דכתיב איפוא הם רעים · [17]לא סלקא דעתיך דכתיב מי יתן בספר ויוחקו ומשה הוא דאיקרי מחוקק דכתיב וירא ראשית לו כי שם חלקת מחוקק ספון: [18]רבא אמר איוב בימי מרגלים היה כתיב הכא איש היה בארץ עוץ [19]איוב שמו וכתיב התם היש בה עץ · [20]הכא עוץ התם

---

1) Rec. שמואל; F. H. M. Agt. Jad R. *אמר מר שמואל.

2) Rec. דוד; F. H. M. Agt. Jad R. *אמר מר דוד.

3) Rec. ספר תהלים; V. O. ספרו.

4) Rec. וליחשוב נמי איתן; O. cf. Tos קא חשיב אברהם וקא חשיב איתן.

5) Rec. אמר רב; M. H. om.; F. om. רב; O. והא אמר רב.

6) Rec. זה הוא; om* F. V. H. M. O. Agt. הוא. — 7) Rec. איתן; om. F.

8) Rec. צדק וגו'; M. F. V. En J. ואימא יעקב דכתיב ויזרח לו השמש *ההוא מיבעי ליה שמש הבאה בעבורו זרחה בעבורו:; O. אמרי מאי איתן דקא חשיב הכא יעקב כתיב הכא איתן האזרחי וכתיב התם ויזרח לו השמש: at in margine ut Rec.; V. et omnes editiones veteres om. וגו'.

9) Rec. משה; O. Agt. הימן. — 10) Rec. הימן; O. Agt. משה.

11) Rec. הוו: משה; V. הוו: עזרא כתב את ספרו ויחס בדה"י עד לו' מסייע ליה לרב יהודה דאמר רב יהודה לא כו' נחמיה בן חכליה וסיימיה: אמר מר משה, item O., tantum quod loco דאמר רב יהודה scriptum est דאמר ר' יהודה א"ר; F. V. H. M. O. Agt. Jalk. m. *הוו: אמר מר משה.

12) Rec. ופרשת; M. F. וספר. — 13) Rec. לחמא; F. H. Jalk. m. חמא.

14) Rec. ר' לוי בר לחמא; om. H.; F. Jalk. m. ר' לוי בר חמא.

15) Rec. בימי; om.* F. V. H. M. O. Jalk. m.

16) Rec. דכתיב; F. Jalk. m. En J. דכתיב ביה.

17) Rec. לא ס"ד כו' שם; V. O. אמר ליה אנא מחוקק קאמינא כתיב הכא ייוחקו וכתיב התם כי שם.

18) Rec. רבא; F. Jalk. ed. רב. — 19) Rec. איוב שמו; om. O. V.

20) Rec. מי דמי כו' עץ; om. M.; V. F. H. En J. Jalk. m. om.* bis מי דמי; V. הכא עץ התם עוץ; H. F. התם עוץ הכא עץ; Agt. Jalk. m. התם עץ הכא עוץ.

עץ · [1]הכי קאמר להו משה לישראל [2]ישנו לאותו אדם ששנותיו [3]כעץ ומגין על דורו כעץ: יתיב ההוא מרבנן קמיה דר׳ שמואל בר נחמני [4]ויתיב וקאמר איוב לא היה ולא נברא אלא משל היה · אמר ליה אליך אמר קרא איש היה בארץ עוץ [5]איוב שמו · [6]אמר ליה אלא מעתה ולרש אין כל כי אם כבשה אחת קטנה [7]וגו׳ [8]מי הוה אלא משל · [9] [10]אם כן שמו ושם עירו [11]למה: רבי יוחנן ורבי אלעזר דאמרי תרוייהו איוב מעולי גולה היה ובית מדרשו בטבריא [12]היה · מתיבי ימי שנותיו של איוב [13]משנכנסו ישראל למצרים ועד שיצאו · אימא [14]כמשנכנסו ישראל למצרים [15]ועד שיצאו: מתיבי שבעה נביאים נתנבאו [16]לאומות העולם ואלו הן בלעם ואביו ואיוב אליפז התימני ובלדד השוחי וצופר הנעמתי ואליהוא בן ברכאל הבוזי · [17]וליטעמיך אליהוא בן ברכאל לאו מישראל הוה אלא אינבוי

---

1) Rec. הכי קאמר כו׳ כעץ; V. O. אלא משה הוא דקאמר להו לישראל ראו אם ישנו לאותו האיש שדומה לעץ ושנותיו ארוכות כעץ:

2) Rec. ישנו; V. O. F. En J. Jalk. ed. ראו אם ישנו.

3) Rec. ארוכות; om.* M. F. H. Agt. En J. Jalk. m. Raschi.

4) Rec. ויתיב; om. V. — 5) Rec. איוב שמו; om. O.

6) Rec. אלא מעתה; M. F. א״ל וליטעמיך; correct in V. וליטעמיך; Agt. Jalk. m. א״ל אלא מעתה; O. En J. Lubl. I. א״ל אלא מעתה דכתיב. א״ל* recipiendum est, testibus M. F. O. Agt. Jalk. m. En J. Lubl. I.

7) Rec. אשר קנה ויחיה וגו׳; om. F. V.; H. En J. וגו׳*; V. O. ולרש אין כל וגו׳; V. in margine et Agt. שני אנשים היו בעיר אחד עשיר ואחד רש ולרש: אין כל כי אם כבשה אחת קטנה ויהי לו לבת:

8) Rec. מי הוה אלא משל; O. הכי נמי אלא משל היה; V. הכי נמי דלא משל היה הכי נמי משל היה; H. הוה ה״נ למשל הוה אלא למשל.

9) Rec. בעלמא; om.* M. O. V. H.

10) Rec. א״כ; O. V. Lubl. I. Jalk. m. א״ל א״כ.

11) Rec. למה; V. O. למה לי. — 12) Rec. היה; om. F.

13) Rec. משעה שנכנסו; F. V. M. O. Jalk. ed. משנכנסו*.

14) Rec. כמשעה שנכנסו כו׳ שיצאו; O. V. כמשנכנסו; H. Jalk. ed. כמשנכנסו ועד שיצאו*; F. Pis. כמשנכנסו ועד שעה שיצאו.

15) Rec. ועד שעה שיצאו; M. H. Jalk. ed. Ven. I. II. Just. עד שיצאו*.

16) Rec. לאומות; H. F. O. להן לאומות.

17) Rec. א״ל וליטעמיך אליהוא בן ברכאל לאו מישראל הוה והא כתיב ממשפחת רם אלא אינבוי אינבי לאוה״ע ה״נ איוב אינבוי אינבי לאוה״ע אטו כולהו נביאי מי לא אינבוי לאוה״ע התם עיקר נבואותיהו לישראל הכא עיקר נבו׳ כו׳. M. איוב מישראל הוה דאלת״ה אליהוא בן ברכאל ה״נ אלא מישראל הוה איוב נמי מישראל הוה אי הכי היכי קרי להו אוה״ע דאינביאו לאוה״ע לעולם איוב; V. כולהו נביאי נמי אינביאו לאוה״ע כולהו נביאי עיקר כו׳ מישראל הוה דאלת״ה אליהוא בן ברכאל הבוזי ה״נ אלא מישראל הוה והכתיב ממשפחת רם היכי קרי להו נביאי אוה״ע דאינביאו לאוה״ע כולהו נביאי נמי אינביאו לאוה״ע כולהו נביאי עיקר כו׳; item F., at om. והא כתיב, et loco

אינבי לאומות העולם· הכא נמי איוב אינבויי אינבי לאומות העולם·
אטו כולהו נביאי מי לאו אינביאו לאומות העולם· התם עיקר
נבואותיהו לישראל הכא עיקר נבואותיהו לאומות העולם: [1]מתיבי
[2]חסיד אחד [3]היה באומות העולם ואיוב שמו ולא בא לעולם אלא
[5.4]לקבל שכרו· [6]הביא הקב"ה עליו יסורין התחיל [7]מחרף ומגדף
כפל לו הקב"ה שכרו [9.8]כדי לטרדו מן העולם [10]שנא' ויוסף ה' את
כל אשר לאיוב למשנה: [11]תנאי היא דתניא ר' אלעזר אומר איוב
בימי שפוט השופטים היה שנאמר הן אתם כולכם חזיתם [12]וגו'·
איזה דור שכולו הבל· הוי אומר זה דורו של שפוט השופטים:
ר' יהושע בן קרחה אומר איוב בימי אחשורוש היה שנאמר ולא
נמצא נשים יפות [13]וגו'· איזהו דור שנתבקשו בו נשים יפות· הוי
אומר זה דורו של אחשורוש: ואימא [14]בימי דוד [15]דכתיב [17.16]ויבקשו

נמי מישראל הוה ואמאי קרי ליה נביאי scriptum est ה"נ מישראל הוה כו'
איוב מישראל habet, ולִיטעמיך כו' אינבי לאוה"ע ה"נ איוב H. om. אוה"ע כו';
היה ואינבי לאוה"ע אטו כולהו נביאי לאו אינבו כו' הכא עיקר נבואתיה לאוה"ע;
ולִיטעמיך אליהוא לאו כו' רם אלא מישראל הוה ואינביאו לאוה"ע ה"נ O.
איוב מישראל היה ואינבי לאוה"ע אי הכי היכי קרו להו נביאי אוה"ע
דאינביאו לאוה"ע אלא כולהו נביאי נמי אינביאו לאוה"ע כולהו נביאי הני
עיקר כו'. Sensus omnium lectionum est unus, quem textus receptus reddit planissime. Quare illum retinemus, tantum quod secundum omnium codicum testimonium removemus initio א"ל, in medio והא כתיב ממשפחת רם, testibus editionibus antiquis Ven. I. II. Lubl. I. En J. Pis. cf. M.

1) Rec. מתיבי חסיד כו' ועמך; V. O. Jalk. ed. מתיבי חסיד כו' ונפלינו אני ועמך מתיבי שבעה נביאים.

2) Rec. חסיד; F. V. H. M. O. Agt. Jalk. m. חסיד אחד*.

3) Rec. היה; F. Agt. היה לי. — 4) Rec. כדי; om. M. F. V. Agt. En J.*

5) Rec. לקבל; V. F. Jalk. ed. ליטול.

6) Rec. הביא הקב"ה עליו; M. F. Agt. En J. Jalk. ed. באו עליו; V. הביא עליו הקב"ה. — 7) Rec. מחרף; V. להיות מחרף.

8) Rec. בעולם הזה; om.* M. H. F. O. Jalk. m.

9) Rec. כדי; om. editiones antiquae omnes.

10) Rec. הבא; om.* M. H. F. O. Jalk. m.

11) Rec. תנאי היא; M. H. F. Jalk m. Agt. Jalk. ed. *שנאמר ויוסף ה' את כל אשר לאיוב למשנה: תנאי היא.

12) Rec. ולמה זה הבל תהבלו; om. M.; F. O. V. וגו'*.

13) Rec. כבנות איוב בכל הארץ; M. F. V. וגו'*.

14) Rec. בימי; om. V. M. Agt.; H. F. Jalk. m. זה דורו של.

15) Rec. דכתיב; M. דכתיב ביה.

16) Rec. ויבקשו נערה יפה; V. O. Jalk. ed. יבקשו לאדוני המלך נערה בתולה; item En J., sed נערה יפה.

17) Rec. ויבקשו F. Jalk. m. ויבקשו למלך.

נערה יפה· [1]התם בכל גבול ישראל הכא בכל [2]מדינות מלכותך׃
רבי נתן אומר [3]איוב בימי מלכות שבא היה שנאמר ותפל שבא
ותקחם· וחכמים אומרים [4]איוב בימי כשדים היה שנאמר כשדים
שמו שלשה ראשים· ויש אומרים [5]איוב בימי יעקב היה ודינה בת
יעקב [6]נשא· כתיב הכא כדבר אחת הנבלות תדברי וכתיב התם כי
נבלה עשה בישראל· [7]וכולהו תנאי [8]סבירא להו דאיוב מישראל
הוה לבר מיש אומרים· דאי [9]סלקא דעתיך מאומות העולם הוה
[10]ממשה ואילך מי [11]שריא שכינה על אומות העולם [12,13]שנאמר
ונפלינו אני [14]ועמך וגו׳ וכתיב נגד כל עמך אעשה נפלאות׃

---

1) Rec. התם בכל גבול ישראל; M. H. בכל גבול ישראל לא סלקא דעתיך; F. Jalk. m. לא ס״ד.

2) Rec. בכל הארץ; F. O. V. Agt. Jalk. m. Jalk. ed. בכל מדינות מלכותך*; item M., sed מלכותו; H. בכל מדינות המלך.

3) Rec. איוב; om. H.

4) Rec. איוב; om. O. En J. — 5) Rec. אי״ב; om H.

6) Rec. נשא; H. היתה אשתו.

7) Rec. כולהו; M. H. Agt. Jalk. m. כולהו הני.

8) Rec. סבירא להו; O. V. Jalk. ed. ואמוראי מודו.

9) Rec. ס״ד; O. ס״ד דאיוב.

10) Rec. בתר דשכיב; M. H. F. Agt. Jalk. m. ממשה ואילך*.

11) Rec. שריא; F. O. שרא.

12) Rec. והא אמר מר בקש משה שלא תשרה שכינה על אומות העולם אם לא יכירו את בוראם ונתן לו; om.* M. O. V. Jalk. ed. Verba אם לא יכירו את בוראם sunt additamentum censoris Basileensis.

13) Rec. שנאמר ונפלינו אני ועמך; O. V. והכתיב ונפלינו אני ועמך שלא תשרה שכינה על אוה״ע ש״מ בתר דשכיב משה לא שרא שכינה על אוה״ע.

14) Rec. ועמך; M. V. (in margine), Lubl. I. Agt. Jad R. ועמך וגו׳ וכתיב נגד כל עמך אעשה נפלאות*; item F. En J. Jalk. m., sed addunt אלא ש״מ מישראל הוה, quae verba exstant etiam in H. et Jalk. ed.

II.

Versio Barajthae et Gemarae.

„Magistri nostri docent: Ordo Prophetarum hic est: Josua, Judicum, Samuelis, Regum, Jeremias, Ezechiel, Jesajas, Duodecim.“

Nonne (מכדי)[1] Hoseas aetate primus, ut legimus[2]: In principio Dominus locutus est cum Hosea. — Numquid (וכי)[3] cum Hosea locutus est primo, cum a Mose usque ad Hoseam multi fuerint prophetae? — Quatuor illorum, inquit Rabbi Jochanan,[4] prophetarum fuit primus, qui prophetabant eadem aetate, Hoseam dico, Jesajam, Amosum et Micham. — Primo igitur inter illos

---

1) מכדי argumentum introducit, quo confirmatur aliqua objectio. Quibus autem ex partibus haec particula sit composita, non est perspicuum. Legi solet מִכְּדֵי, neque dubium est, vertendum esse „quoniam“ (vide Raschi ad Megilla 2a). Attamen in versione nostra scripsimus „nonne“, quia finis sententiae tam longe dissitus est, ut satius videretur priorem sententiae partem separatim ponere. Is enim, qui Hoseam censet esse primo loco ponendum, interpellatur, nondum absoluto sermone.

2) vide Hos. 1, 2. Wrightius in „the book of Koheleth“ 1883 vertit: „The beginning of the word of the Lord to Hosea“ contra vocalisationem et sensum eum, quem Talmud supponit versui illi (vide Pesachim 87a).

3) וכי. Particnla כי, initio quaestionis posita, non est confundenda cum Syriaco ܟܝ, quod nunquam reperitur initio quaestionis; immo idem est quod in antiquo Hebraismo הֲכִי (Iob 6, 22. 2 Sam. 9, 1), abjecto ה interrogativo.

4) Rabbi Jochanan bar-Nappacha, Amoraeus seculi tertii, magister academiae Sephoranae.

in loco ponatur (וליקדמיה)[1] Hoseas![2] — Quoniam scriptum est vaticinium ejus una cum Haggaei, Zachariae et Malachiae vaticiniis, qui prophetarum fuerunt postremi, illis (בהדיהו)[3] adnumeratur. — Attamen separatim poterant scribere eum et anteponere! — Quia (אידדי)[4] parvus est, facile intercidere poterat.

Nonne Jesajas Jeremiae et Ezechieli antecedit aetate? Primo igitur est ponendus in loco.[5] — Quia Regum liber desinit in vastationem, et Jeremias omnis est vastatio, Ezechiel

---

1) וְלִיקַדְּמֵיהּ est III. pers. sing. Imperfecti Pael a verbo קדם cum praefixo ל et suffixo pronomine III. pers. sing. masc., qua Imperfecti forma crebro utitur lingua Talmudum Aramaica, ubicunque optationem aliquam vel precationem vult exprimere, velut לימא dicat, ליכתביה scribat eum, ליתני tradendum erat, לימותו moriantur. Litera Jod post ל est mater lectionis. — Aramaismus Scripturae Sacrae et Targumum solius verbi הוא Jussivum ita formatum exhibet (cf. לֶהֱוֵא Dan. 2, 20). Conferre licet لَامُ ٱلْأَمْرِ Arabum, quod tertiae inprimis personae Jussivi solent praefigere (velut لِيُنْفِقْ expendat), nec non Assyriorum formam precativam (velut libšuš, emundet; liṭṭaru, servent; luballu, devorent; vide Annal. Tigl. Pil. I).

2) ליקדמיה להושע. Particula יַת, rectius יָת (Hebr. את), est nota Accusativi in Aramaismo Scripturae Sacrae et Targumico. Sed jam illic passim reperimus praepositionem לְ obtinere locum Accusativi (vide Dan. 2, 44 seqq. 5, 4. Pseud. jon. Gen. 40, 1). Aramaismus Talmudum et lingua Syriaca illo יח Accusativi omnino non utuntur, sed Objectum solent adjungere verbo cum praepositione לְ; suffixum verbi, si ponitur, tantummodo auget vim determinationis (vide Noeldeke, Gr. Syr. §§ 287. 8. Mart. I, 123. ܘܐܫܕܘܗܝ ܠܟܠܗ ܘܫܕܘܗܝ ܠܟܠܒܗ).

3) בַּהֲדַיְהוֹ. הֲדֵי, cui hic praefixa est praepositio בְּ, affixum pronomen III. pers. plur., est forma pluralis nominis inusitati הַד, cujus radix הדה (vide Jes. 11, 8), Syr. ܗܕܐ, Arab. هَدَى habet vim dirigendi vel ducendi. הד igitur non potest esse „conjunctio“ (sic Levy), sed est „directio ad aliquid“ (cf. הֶדְיָא recta via, directo). Quidquid autem semper dirigitur ad aliquid, id ligamento quodam ei annexum est. Hac via הד significationem „juxta“ nactum esse credideris.

4) אַיְּדֵי idem est atque על ידי. Litera Ajin mutata est in Aleph atque litera Lamed assimilata literae Jod (cf. אמאי = על מאי, אגב = על גב, אליבא = על ליבא).

5) Wrightius falso vertit: „Then Isaiah (lived) before Jeremiah and Ezekiel, (therefore) Isaiah stands first at the beginning?“ מכדי non est „then“; et ליקדמיה non est Peal verbi קדם, sed Imperfectum Pael precativum.

autem incipit a vastatione ac desinit in consolationem, Jesajas denique omnis est consolatio, — ideo conjungimus vastationem cum vastatione et consolationem cum consolatione.

„Ordo Hagiographorum hic est: Ruth, liber Psalmorum, Jobus et Proverbia, Ecclesiastes, Canticum Canticorum et Threni, Daniel et libellus Ester, Ezra et Chronica."

Sin autem quis Jobum, qui fuerit aetate Mosis, censeat anteponendum, — a calamitate non capimus initium.[1] — Nonne Ruth item (נמי)[2] calamitas? — At calamitas cum eventu fausto. Rabbi Jochanan enim: Quare, inquit, ei datum est nomen Ruth (רות)? Quia ex ea ortus est David, qui perfudit (שֶׁרִיוָּהוּ) Deum sanctum benedictum canticis et hymnis.

„Quis autem scripsit eos libros? Mose scripsit librum suum et sectionem de Bileamo et Jobum. Josua scripsit librum suum et octo illos versus in Lege.[3] Samuel scripsit librum suum et librum Judicum et Ruth. David scripsit librum Psalmorum pro decem senibus, scilicet pro homine primo, pro Melchisedece, pro Abrahamo, pro Mose, pro Hemano, pro Jeduthuno, pro Asapho et pro tribus Corae filiis. Jeremias scripsit librum suum et librum Regum et Threnos. Hiskias sociique ejus scripserunt Jesajam, Proverbia, Canticum Canticorum. Viri Synagogae magnae scripserunt Ezechielem et

---

1) Falso Wrigthius: „It [the book of Job] begins with misfortune, we do not (thus) begin". אַתְחוֹלֵי enim est Inf. Aphel verbi תחל (cf. אשתבוחי Megilla 11b, אימנועי Pesachim 4b). Usitatior forma est אַתְחָלָא. Sed jam Targumistae utuntur forma exeunte in וֵ̈י vel ֵ̈י (cf. אַתְחוֹלֵי Iob 1, 13. בְּחוּנֵי Gen. 22, 5. Jon.). Infinitivus praemittitur verbo finito, ut vim verbi augeat, sicut in lingua Hebraica, Syriaca atque Aramaismo Paraphrasium.

2) נמי. Origo hujus particulae, quam Judaei pronunciant נַמִּי vel נָמֵי, nondum satis perspecta est. N. D. Tedesco (in Luzzatto, Gram. Aram.) censet, נמי ducendum esse a נימא „dicemus". Ipse S. D. Luzzatto existimat, נמי ortum esse ex נוֹמֵי „jurare possumns". At נמי semper indicat, pertinere aliquid, cujus antea mentio facta erat, et ipsum ad personam sive rem commemorandam; quamobrem meliore jure Levy (in lexico Neohebr.) confert Arabicum نَمَى „increvit, incrementum cepit" et نَامٍ „incrementnm capiens". Verumtamen, qua via hoc نَمَى, Syris ignotum, ad Amoraeos Babylonicos pervenerit, qui soli particula נמי utuntur, id non assequimur.

3) Deuteronomium 34, 5—12.

Duodecim et libellum Ester. Ezra scripsit librum suum atque genealogias, quas Chronicorum in libro legimus, usque ad semet ipsum."

Id cum Rabbi[1] effato convenit, quem Rabh Juda[2] tradit dixisse: Ezra non ascendit e Babylonia, antequam suam genealogiam perscripsit; tum demum ascendit. — Quis ad finem perduxit? — Nehemias, filius Helchiae.

Quod tradunt, Josuam scripsisse librum suum et octo versus in Lege, sententiam ejus exprimit, qui octo illos versus Legis a Josua ait esse scriptos. Quaerunt enim, num vivus potuerit Mose scribere illud[3]: Ibique mortuus est. Nonne, inquiunt, usque ad hunc tantum versum Mose scripsit, Josua autem postrema addidit? — Rabbi Judae[4] vel, ut alii dicunt, Rabbi Nehemiae[5] hunc in modum loquenti Rabbi Simon[6] regerit: Num fieri potuit, ut una careret litera liber Legis, cum sit scriptum[7]: Sumite hunc librum Legis! — Immo hactenus verba, quae Deus sanctus benedictus dictabat, Mose scripsit itemque deinceps, at vero oculis lacrymantibus. Aeque ac legimus in libro Jeremiae (36, 18): Quibus Baruch respondit: [Omnia haec verba] ab illo dictata [hoc in libro conscripsi atramento]. — Id cujus cum verbis congruit? Cum Rabbi, quem Rabbi Josua bar-Abba[8] auctore Rabbi Giddel[9] affirmat dixisse: Octo versus in Lege recitentur ab uno! — Quod si quis non congruere existimet[10] cum verbis Rabbi Simonis, utique congruere sciat, quoniam mutatio[11] [sive scriptoris, sive modi scribendi] sequi videri possit mutationem [scil. in modo recitandi].

---

1) Rabh Abba Aricha, Amoraeus sec. III., qui academiam Suranam condidit.

2) Rabbi Juda ben-Jecheskel, Amoraeus sec. III., magister academiae Pumbadithanae. — 3) Vide Deut. 34, 5.

4) Rabbi Juda ha-Nasi, patriarcha Palaestinensis sec. II., auctor Mischnae.

5) Rabbi Nehemias, Tannaeus sec. II., discipulus Rabbi Akibae.

6) Rabbi Simon ben-Jochai, Tannaeus sec. II., academiae Tekoanae magister.

7) Vide Deut. 31, 26.

8) Rabbi Josua bar-Abba, discipulus Rabbi Giddel.

9) Rabh Giddel, discipulus Rabbi, Amoraeus seculi tertii.

10) לֵימָא non potest esse Infinitivus verbi אמר cum praepositione לְ. Insuper enim exstat forma לְמֵימַר (Kethuboth 87b). Est igitur Imperfectum cum ל optativo.

11) הוֹאִיל וְ. Levy affirmat, הואיל esse abbreviatum ex הָא אִלּוּ; praeplacet

Josua scripsit librum suum. Quod autem scriptum est:[1] Mortuus est Josua filius Nun, servus Domini, — Elazar libri finem addidit. Sin dixeris: scriptum est:[2] Et Elazar, Aaronis filius, mortuus erat, — Pinehas senesque postrema adjecerunt. Traditioni, quae Samuelem scripsisse librum ejus affirmat, non repugnat, quod scriptum est[3]: Et Samuel mortuus erat. Gad enim vates et Nathan propheta perduxerunt librum ad finem. Traditioni autem illi, quae dicit: David scripsit librum Psalmorum pro decem senibus, objicere posses, senum numero adscribendum fuisse Ethanum quoque Ezrahitam, — nisi Rabh affirmaret, Ethanum Ezrahitam eundem fuisse atque Abrahamum. Hic enim esse scriptum:[4] Ethan Ezrahita, illic:[5] Quis arcessivit ex oriente? — Etiam dicere potes, Jacobum et Ethanum fuisse eundem; nos enim legere in Genesi (32, 32): Et sol ei ortus est, — quod vult dicere, illius causa solem et occidisse et ortum esse. — Sin vero quaeras, cur recenseatur et Moses et Heman, quos Rabh dixerit esse eundem, quoniam altero loco sit scriptum:[6] Heman, altero:[7] in tota domo mea est fidelis, — respondeo: duo fuerunt homines nomine Heman.

Quod denique traditum est, Mosen scripsisse ipsius librum sectionemque de Bileamo atque Jobum, id cum Rabbi Levi bar-Lachmae[8] sententia concordat, qui Jobum aetate Mosis dicit vixisse, quia hic:[9] Utinam (מי יתן איפוא) scribantur verba mea! illic:[10] Ex quo nam (איפוא) intelligetur [me veniam impetravisse]? — Etiam dicere possim: Isaaci aetate vixit Jobus,

---

conferre Hebraicum הוֹאִיל „voluit“, Chaldaicum וְלָא et Syriacum ܘܠܐ „decet, oportet“, et vertimus „si vis“ vel „fac“ (scil. rem ita se habere), vel potius sine ulla dubitationis notione „quoniam“.

1) Vide Jos. 24, 29.

2) Vide Jos. 24, 33. והכתיב legendum est וְהָכְתִיב, non וְהַכְּתִיב. Nam litera ה hic non indicat articulum, quippe linguae Aramaicae ignotum, sed adverbium הָא (Hebr. הֵא, Syr. ܗܳܐ, Arab. هَا) „ecce, en“.

3) Vide I. Sam. 28, 3. — 4) Vide Psalm 89, 1. איתן האזרחי.

5) Vide Jes. 41, 2. מי העיר ממזרח. — 6) Vide Psalm 88, 1. הימן.

7) Vide Num. 12, 7. בכל ביתי נאמן הוא.

8) Quo tempore vixerit Rabbi Levi bar-Lachma, nescimus; vide Seder Tannaim va-Amoraim in libro Seder ha-Doroth.

9) Vide Iob 19, 23. — 10) Vide Exod. 33, 16.

quoniam scriptum est:[1] Quisnam (מי איפוא) est ferae venator? — Item vivere potuit Jacobi tempore; legimus enim:[2] Quae si ita sunt (אם כן איפוא זאת), agite! — Quid non dico: Josephi, quoniam scriptum est:[3] Ubinam (איפוא) pascunt illi? — Quarum sententiarum omnium non habenda est ratio;[4] nam scriptum est:[5] Utinam „incidantur“ (יחקו) [scil. verba mea] libro! Mose autem „incisor“ (מחוקק) appellatur, ut legimus:[6] Primitiasque sibi delegit, quod illic est ager incisoris (מחוקק) reconditi. — Rabba[7] exploratorum tempore ait Jobum vixisse, allegans et hoc:[8] Fuit vir quidam in terra Uz (עוץ), nomine Jobus, et illud:[9] [Videte], ibine sit arbor (עץ). Videre vult Moses Israelem, ibine sit[10] homo ille, cujus anni annis aequarent arboris et qui protegat aequales arboris instar.

Sedebat quidam e magistris nostris coram Rabbi Samuel bar-Nachmani:[11] Jobus, inquit, nec fuit, nec creatus est, immo fabula (משל) est. — Cui ille respondit: Contra te versus ille testatur: Fuit homo quidam in terra Uz, nomine Jobus. — Hic autem: Sin cum isto confers illud:[12] Pauperi nihil erat nisi agnella etc., quid est nisi fabula? — Ille: Quod concedam; at nomen viri et domicilii ejus, dic mihi, quid sibi velint?

Jobum fuisse ex iis, qui exsilio redierant, et Rabbi Jochanan[13] et Rabbi Elazar[14] arbitratus est, academiamque ejus fuisse Tiberiade. Quibus contradicere videantur, qui eo tempore Jobum

---

1) Vide Gen. 27, 33. — 2) Vide Gen. 43, 11. — 3) Vide Gen. 37, 16.

4) לא ס"ד, lege לָא סָלְקָא דַעְתִּיךְ׃ vel לָא סָלְקָא דַעְתָּךְ׃. דעתך breviter pro אַדַעְתָּךְ׃, quod est עַל דַעְתָּךְ׃. Conferri licet עלה על לב Hebraeorum.

5) Vide Iob. 19, 23. — 6) Vide Deut. 33, 21.

7) Aut Rabba ben-Nachmani, Amoraeus IV. seculi, magister academiae Pumbadithanae, aut Rabba ben-Chama, aequalis illius.

8) Vide Iob. 1, 1. — 9) Vide Num. 13, 20.

10) ישנו לאותו אדם. יֵשׁ contra consuetudinem conjunctum est cum Accusativo. Accusativum enim indicat suffixum, cui nomen postscriptum est praepositione לְ instructum.

11) Rabbi Samuel bar-Nachmani, frater Rabbae bar-Nachmani, cujus supra fecimus mentionem.

12) Vide II. Sam. 12, 3. — 13) Vide pag. 20 sub 4).

14) Rabbi Elazar, secundum Seder Tannaim va-Amoraim Elazar ben-Pedat, qui Rabbi Jochananis bar-Nappacha fuit discipulus (vide Temura 25b).

tradunt prodiisse in vitam, quo Israelitae ingressi sunt Aegyptum, excessisse autem e vita eo tempore, quo exierunt. At dico: Non ipsa illa aetate vixit, sed tot annos, quot vixerunt Israelitae in Aegypto.

Sunt, qui objiciant: Septem prophetae prophetarunt gentibus, scilicet Bileam et pater ejus et Jobus, Eliphas Temanita et Bildad Schuchita et Zophar Naamita et Elihu, filius Barachelis, Buzita. Num Elihu, filium Barachelis, non putas fuisse Israelitam? Utique [fuit Israelita], gentibus tantum prophetavit. Itaque Jobus quoque prophetavit gentibus [neque fuit ex illis]. — Nonne[1] omnes prophetae prophetarunt gentibus? — Illorum vaticiniorum maxima pars spectat ad Israelem; septem contra prophetae, quos commemoravimus, praecipue ad gentiles verba sua dirigunt.

Alii dicunt: Homo justus quidam olim fuit inter gentes, nomine Jobus, natus idcirco, ut mercedem caperet, quam Deus, cum, malis ipsi impositis, maledicere et exsecrari coepisset, ei duplicavit, ut expelleret eum e mundo [futuro], ut scriptum est:[2] Et duplum Jobo Dominus dedit omnium eorum, quae ei fuerant ante. — Jam Tannaeorum haec est disceptatio. Rabbi Elazarem enim tradunt dixisse: Iudicum temporibus fuit Jobus quia scriptum est:[3] Ecce, vos omnes vidistis; [cur igitur adeo vane (זה הבל) loquimini?] Cujus autem aetatis omnes homines fuerunt vani quam Judicum? — Rabbi Josua ben-Korcha[4] contra affirmat, Jobum vixisse tempore Ahasveri allegans illud:[5] Neque erant mulieres pulchrae [ut filiae Jobi in universa terra]. Qua enim aetate quaesitae sint mulieres pulchrae

1) אַטּוּ כּוּלְּהוּ נביאי. Levi derivat אטו a verbo quodam אטא „venire“; immo idem esse videtur atque אַמְטוּ et אַמְטוּל, quae et ipsa non perfecta sunt a verbo מטא, ut Levy putat, (Litera Lamed enim verbi אמטול non potest esse praepositio לְ, cf. אמטול cum Suffixo III. pers. אַמְטוּלְתֵיהּ Kethuboth 67b) sed abbreviata sunt ex עַל מְטוּל (cf. Hebr. עַל דבר, עַל אודות) „propter onus“ vel potius „propter“ sive „quod attinet ad“. In versione אַטּוּ saepius non potest reddi. מִי לאו אינביאו. מִי interrogativum non raro sensu generali particulae interrogativae „ne“ vel „quomodo“ adhibetur.

2) Vide Job. 42, 10. — 3) Job. 27, 12.

4) Rabbi Josua ben-Korcha, Tannaeus sec. II., ut Raschi existimat, filius Rabbi Akibae. — 5) Vide Job. 42, 15.

nisi Ahasveri? — Dicere etiam possim: Davidis tempore, quia scriptum est:[1] Quaerebant virginem pulchram. Objici tamen potest; hic sermonem esse de universa Israelitarum terra, illic de „omnibus regni tui provinciis“.[2] — Rabbi Nathano[3] Jobus regni Sabaeorum aetate vixisse placet, quia scriptum sit:[4] Sabaei irruperunt eaque secum deduxerunt. — Sapientium alii Jobum Chaldaeorum tempore fuisse putant; Scripturam enim dicere:[5] Tria Chaldaei fecerunt agmina. — Nonnulli denique Jacobi diebus dicunt vixisse Jobum, quippe qui Dinam, Jacobi filiam, duxerit uxorem, quia hic sit scriptum:[6] Ut nefariarum (אחת הנבלות) una loqueris! illic:[7] Nefarium (נבלה) commisit in Israele.

Itaque Tannaei, Israelitam fuisse Jobum, existimant omnes, si excipis „nonnullos“ illos [quos supra commemoravimus]. Sin autem dixeris, e gentibus fuisse eum [secundum Tannaeorum sententiam] quaero, num inde a Mosis aetate Majestas Divina se revelaverit in gentibus, cum scriptum sit uno loco:[8] Ut excellamus (ונפלינו) [scil. inter gentes] ego populusque tuus etc., et alio:[9] Coram toto populo tuo edam miracula (נפלאות).

---

1) Vide I. Reg. 1, 3. — 2) Vide Est. 2, 3.
3) Rabbi Nathan, Tannaeus sec. II., aequalis Rabbi Judae primi.
4) Vide Job. 1, 15. — 5) Vide Job. 1, 12.
6) Vide Job. 2, 10. — 7) Vide Gen. 34, 7.
8) Vide Ex. 33, 16. — 9) Vide Ex. 34, 10.

III.

Commentatio.

Mirum potest videri, quod Barajtha, quam tractare suscepimus, tantummodo tam breviter strictimque indicat, qui sit librorum Scripturae Sacrae ordo. Atque oritur quaestio, quid sibi velit, utrum id solum agat, ut usum veterem et tralaticium enarret, an ei propositum sit praescribere legem, quam omnes debeant sequi, et si res ita se habet, cur Thorae nullam habeat rationem. Quos ad quaestiones ut respondeamus, consideranda sunt ea, quae in Talmude Barajtham illam antecedunt.

Legimus in tractatu Baba bathra fol. 13ᵇ:[1] „Magistri nostri docuerunt: Thoram, Prophetas, Hagiographa in unum volumen conscribere non vetitum est. — Quibus Rabbi Meïri[2] verbis objicit Rabbi Juda:[3] Separatim scribi oportet Thōram, Prophetas, Hagiographa. — Alii autem viri docti: Singuli, inquiunt, libri scribendi sunt separatim. — Rabbi Juda ipsius

---

1) תנו רבנן׳ מדביק אדם תורה נביאים וכתובים כאחד׳ דברי ר׳ מאיר: ר׳ יהודה אומר׳ תורה בפני עצמה נביאים בפני עצמן וכתובים בפני עצמן: וחכמים אומרים׳ כל אחד ואחד בפני עצמן: ואמר *ר׳ יהודה׳ מעשה בביתוס בן זונין שהיו לו שמונה נביאים מדובקין כאחד על פי ר׳ אלעזר בן עזריה: ויש אומרים׳ לא היו לו אלא אחד אחד בפני עצמו: אמר רבי׳ מעשה והביאו לפנינו תורה נביאים וכתובים מדובקים כאחד והכשרנום:

*) Rec. רב יהודה; F. V. O. Lubl. I. Jad. R. ר׳ יהודה; H. ר׳ מאיר, corr. ר׳ יהודה.

2) Rabbi Meïr, magister Legis illustris sec. II., Rabbi Akibae discipulus, Rabbi Judae patriarchae magister.

3) aut Rabbi Juda ben-Ilaï, qui vixit aetate Rabbi Meïri, aut Rabbi Juda ben-Bethera, Tannaeus sec. I.

confirmat sententiam, referens, Boëthum, filium Zoninis, habuisse octo prophetas uno in volumine conscriptos, quod Elazar ben-Azarja[1] approbaverit. — At sunt qui dicant, Prophetas Boëthi non fuisse conjunctos, sed separatim scriptos singulos. — Rabbi[2] regerit: Volumen quondam nobis attulerunt, quod continebat Thoram et Prophetas et Hagiographa, quo volumine tanquam legitimo uti licere judicavimus.“[3]

Thorae sanctitatem Judaei religiose et anxie studebant tueri. Hanc ob causam quaeritur in Barajtha, quam citavimus, num conjungere Thoram cum Prophetis et Hagiographis uno in volumine liceat, atque alio loco,[4] num Prophetarum libros volumini Thorae imponere fas sit. Quae quidem duae quaestiones ostendunt, illis temporibus Judaeos non consuevisse conscribere omnes libros sacros in volumine uno. Quod si non ita esset, relatum legeremus, permultos illis fuisse libros totam Scripturam Sacram vel omnes sive Prophetas sive Hagiographa continentes. Inter quos certe fuissent plures a rabbinis magnis et illustribus approbati, neque solum Boëthi Prophetarum volumen illudque totius Veteris testamenti, cujus Rabbi facit mentionem. Synagogae quoque et Academiae exemplaribus vetustate venerabilibus fuissent instructae, ut nemo potuerit quaerere, num licitum esset talia habere exemplaria.

Sin quis putet, locum e tractatu Megilla, quem supra

---

1) Elazar ben-Azarja, praeses Synedrii una cum Gamaliele patriarcha, qui vixit seculo primo.

2) Rabbi Juda ha-Nasi vel ha-Kadosch, auctor Mischnae, vir illustrissimus sec. II.

3) Verba וחכ"א כו' עצמו Keilius in libro suo „*Alttestamentl. Einl.*“ ed. III. p. 500 sic reddit: „*Die Weisen sagen: Alles ist eins und jeder Theil besteht wieder für sich (d. h. bildet wieder ein für sich abgeschlossenes Ganzes)*“, et verba הביאו לפנינו כו' hoc modo: „*Und sie haben uns hinterlassen die Thora, Propheten und Hagiographen, verbunden zu einem Ganzen*“. Quibus argumentis fultus demonstrare satagit, Veteris Testamenti libros inde a tempore Ezrae effecisse unum corpus, cui quidquam adjungere non licuerit. At verba Barajthae male intellexit, male transtulit.

4) Vide Megilla 27a. מניחין ספר תורה על גבי תורה ותורה על גבי חומשין וחומשין על גבי נביאים וכתיבים אבל לא נביאים וכתובים על גבי חומשין ולא חומשין על גבי תורה:

citavimus, loqui de voluminibus, quae omnes continuerint sive Prophetas, sive Hagiographa, is non videt, commemorari Legem (תורה) quoque et quinque partes vel singulos libros Legis (חומשין), ibique pronunciari, vel singulos Thorae libros imponere Thorae esse nefas.[1] Ergo etiam Prophetae et Hagiographa ibi non sunt duo volumina, sed his nominibus indicantur libri singuli, quos adnumerant Judaei utrique classi. Frustra indagare studuimus locum talmudicum, qui de libro Prophetarum vel de libro Hagiographorum tanquam uno loquatur. Rabbini veteres libros, qui totam continuerint Legem, saepe commemorant, libros, qui omnes vel Prophetas vel Hagiographa, nusquam, nisi uno illo loco tractatus Babae bathrae, quem citavimus. Neque usquam indicatur, in templo asservatum fuisse codicem aliquem totius Scripturae Sacrae authenticum. Commemorantur tres codices, in templo depositi,[2] at non totius Scripturae, sed totius Thorae. — Facile intelligitur, qua de causa inusitatum fuerit, omnes libros sacros uno volumine comprehendere; volumina, quae omnes continebant libros sacros, propter ingentem magnitudinem ad usum quotidianum minime fuissent idonea. Insuper complures Tannaei omnino judicaverant vetitum, uno in volumine conscribere quoslibet Veteris Testamenti libros, excepta sola quinquepartita Lege.

Quae si ita sunt, ultro sequitur, non potuisse constare de certo quodam ordine singulorum librorum. Multi enim fuerunt, qui, quoad vivebant, codicem omnes libros complectentem nunquam viderant. Singuli autem libri, quo ordine sint deponendi in capsis vel scriniis, hac ipsa de causa praescribi non potuit. Librorum sacrorum ordo vere normativus non potuit valere, codice non exstante canonis authentico. Illis autem temporibus non aderat ejusmodi codex qui omnes libros certo sancitoque ordine exhiberet. Etiam doctores Talmudici nusquam sciscitantur, num sit hic illeve liber ejiciendus e canone, sed

---

1) Confer jer. Megilla III, 74a. אין עושין תורה חומשין · אבל עושין חומשין תורה:

2) Vide Sifre cap. Beracha 356.* jer. Taanith IV, 68a. Sopherim 6, 4. *ג׳ ספרים נמצאו בעזרה אחד של מעונים ואחד של היא ואחד שנקרא ספר זעטוטים:

num sit ejusdem sanctitatis atque ceteri,[1] vel num oporteat eum abscondere, i. e. ab usu ecclesiastico removere.[2]

Oriebatur autem quaestio, quo ordine libros sacros scribi oporteat, si quis exemplar omnes complectens libros scribere volebat. Neque mirum est, quod alterum ordinem hic, alterum ille optimum et verum existimabat. Quamvis esset ordo quidam antiquitus traditus, certe pauci eum noverunt.

Quae omnia non levis momenti sunt. Nunc enim perspicimus, quomodo fieri potuerit, ut eundem librorum sacrorum ordinem non habuerint omnes.

Josephus in libro suo, quem anno fere centesimo p. Chr. n. scripsit contra Apionem, haecce habet:[3] Οὐ γὰρ μυριάδες βιβλίων εἰσὶ παρ᾽ ἡμῖν ἀσυμφώνων καὶ μαχομένων· δύο δὲ μόνα πρὸς τοῖς εἴκοσι βιβλία, τοῦ παντὸς ἔχοντα χρόνου τὴν ἀναγραφὴν, τὰ δικαίως θεῖα πεπιστευμένα. Καὶ τούτων πέντε μέν ἐστι τὰ Μωϋσέως. Ἀπὸ δὲ τῆς Μωϋσέως τελευτῆς μέχρι τῆς Ἀρταξέρξου τοῦ μετὰ Ξέρξην Περσῶν βασιλέως ἀρχῆς οἱ μετὰ Μωϋσῆν προφῆται τὰ κατ᾽ αὐτοὺς πραχθέντα συνέγραψον ἐν τρισὶ καὶ δέκα βιβλίοις· αἱ δὲ λοιπαὶ τέσσαρες ὕμνους εἰς τὸν θεὸν καὶ τοῖς ἀνθρώποις ὑποθήκας τοῦ βίου περιέχουσιν. Hic Josephus libris Prophetarum adscribit Danielem, Ezram, Ester, Jobum et Chronica. Libri, quos dicit poëticos vel didacticos, sunt Psalmi, Proverbia, Ecclesiastes, Canticum. Libellum Ruth et Threnos adjungit libris Judicum et Jeremiae, Alexandrinorum morem sequens.

Melito, episcopus ille Sardensis, qui vixit seculo secundo, affirmat, se, dum in Palaestina commorabatur, quaesivisse ex Judaeis, qui sint libri sacri, eosque hoc ordine enumerat:[4] Μοϋσέως πέντε...., Ἰησοῦς Ναυῆ, Κριταὶ, Ῥοὺθ, Βασιλειῶν τέσσαρα, Παραλειπομένων δύο· Ψαλμῶν Δαβὶδ, Σολομῶνος Παροιμίαι····, Ἐκκλησιαστὴς, ᾆσμα ᾀσμάτων, Ἰώβ· Προφητῶν Ἡσαΐου, Ἰερεμίου, τῶν δώδεκα ἐν μονοβίβλῳ, Δανιὴλ, Ἰεζεκιὴλ, Ἔσδρας.

Origenes et ipse ex Judaeis dicet se audivisse, quae de

1) Vide Megilla 7d. Jadajim 3, 5. (מטמא ידים).

2) Vide Sabbath 30b. 13b. Koheleth rabba init. Aboth de R. Nat. 1, Vajjikra rabba c. 28. (גנז).

3) Vide Josephus, c. Ap. I, 8.

4) Vide Euseb. Hist. Eccles. IV, 26.

Veteris Testamenti librorum numero et ordine docet. Ita autem eos recenset:[1] Γένεσις, Ἔξοδος, Λευιτικὸν, Ἀριθμοὶ, Δευτερονόμιον. Οὗτοι οἱ λόγοι· Ἰησοῦς, Κριταὶ, Ῥοὺθ, παρ' αὐτοῖς ἐν ἑνὶ Σωφετίμ, Βασιλειῶν πρώτη, δευτέρα, τρίτη, τετάρτη, Παραλειπομένων πρῶτον, δεύτερον, Ἔσδρας πρῶτος καὶ δεύτερος. Βίβλος Ψαλμῶν, Σαλομῶντος Παροιμίαι, Ἐκκλησιαστὴς, ᾆσμα ᾀσμάτων. Ἡσαΐας, Ἱερεμίας σὺν θρήνοις καὶ τῇ ἐπιστολῇ ἐν ἑνὶ Ἱερεμίᾳ, Δανιὴλ, Ἰεζεκιὴλ, Ἰὼβ, Ἐσθήρ.

Nec Melito nec Origenes libros dividit in tres illas partes Thoram, Prophetas, Hagiographa, quarum jam ben-Sirae nepos in prologo libri avi itidem mentionem facit,[2] sed aliter itemque tripartito dividentes conjungunt libros historicos, poëticos, propheticos more Alexandrinorum, tantum quod Origenes Jobum et Ester post libros propheticos velut appendicem annectit.

Quartus Hieronymus in „praefatione Regnorum", cui nomen Prologi Galeati imponitur, de libris canonis Hebraeorum disserit. Neque dubium est, eum quae docet traditum accepisse ab Judaeis. Attamen non concordant cum iis quae in Talmude legimus. Hieronymianus ordo hic est: Libri Legis, qui sunt Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium. Libri Prophetarum: Josua, Judicum cum Ruth, Samuelis, Regum, Jesajas, Jeremias cum Threnis, Ezechiel, Duodecim. Hagiographa: Jobus, David (i. e. Psalmi), Salomo (i. e. Proverbia, Ecclesiastes, Canticum), Daniel, Chronica, Ezra, Ester. — Postremo addit haecce: „Atque ita fiunt pariter Veteris Legis libri viginti duo i. e. Mosi quinque, Prophetarum octo, Hagiographorum novem. Quamquam nonnulli Ruth et Cinoth inter Hagiographa scriptitent et libros hos in suo putent numero supputandos, ac per hoc esse priscae Legis libri viginti quatuor". Conferenda sunt quae brevius dicit in praefatione in Danielem: „In tres siquidem partes omnis S. S. ab eis dividitur, in Legem, in Prophetas et in Hagiographa,

---

1) Vide Euseb. Hist. Eccles. VI, 25.

2) Confer Ev. Lucae 24, 44: δεῖ πληρωθῆναι πάντα τὰ γεγραμμένα ἐν τῷ νόμῳ Μωϋσέως καὶ προφήταις καὶ ψαλμοῖς περὶ ἐμοῦ, et in prologo Siracidae nepotis: ὁ πάππος μου Ἰησοῦς ἐπὶ πλεῖον ἑαυτὸν δοὺς εἴς τε τὴν τοῦ νόμου καὶ τῶν προφητῶν καὶ τῶν ἄλλων πατρίων βιβλίων ἀνάγνωσιν, κτλ.

i. e. in quinque, in octo et undecim libros“. Hoc igitur loco ipse librum Ruth et Threnos Hagiographis adnumerat.

In tali tantoque inter Judaeos ipsos dissensu de ordine librorum exspectare non possumus, nos in Talmude reperturos esse ordinem omnino legitimum et antiquitus ratum, sed reperiemus ibi tantummodo illum ordinem, quem Tannaei quidam censerunt rectum esse ac verum. Nam cum in Barajtha, quam supra adduximus, conscribere omnes libros sacros in volumine uno permisissent, necesse erat dicere, quem librarii deberent sequi ordinem. Quod faciunt in Barajtha de qua agimus. — Suspicari licet, pervenisse ad Tannaeos ea de re traditionem veterem. Sed qua auctoritate hic ordo aetate Tannaeorum vel ante hoc tempus probatus nitatur, nescimus; nihil enim memoriae proditum est.

Jam vero revertamus ad Barajtham de conjungendis libris sacris. Tannaeis, priusquam librorum ordinem statuere potuerunt, necesse fuit, ut universim de voluminis forma dissererent. Jubent igitur, quatuor versuum spatium relinqui vacuum inter libros singulos Pentateuchi, trium inter libros Prophetarum, trium etiam inter libros Duodecim. Quando finis libri cum paginae fine concurrat, non opus esse spatio vacuo. In principio voluminis librarios relinquere debere tantum spatii, ut scapus possit involvi, et in extremo volumine tantum, ut circuitum tegat totius voluminis. Hic oritur disceptatio, quae occasionem dat Eliezeri ben-Zadok narrandi, librarios Hierosolymitanos duobus instruxisse scapis omnia volumina, quod Rabh Asche de solis Thorae voluminibus a traditione praescribi dicit. Quibus adducuntur, ut uberius disserant de libri Thorae magnitudine, de spatio, quod occupaverit in arca foederis, et de ceteris rebus, quas continuerit arca.

Tum demum videntur recordari, unde tractatio exierit et qua de re locuturi fuerint. De ordine librorum Thorae nihil habebant quod dicerent; ordo enim eorum non solum per se intelligi potuit, sed etiam cognosci e voluminibus totam Thoram exhibentibus. Itaque de solo Prophetarum et Hagiographorum ordine disserere opus erat idque fecerunt in Barajtha, quam nunc minutatim accuratius examinabimus.

A.

ת״ר סדרן של נביאים ······· לנחמתא:

Ea quae Gemara perhibet de causa, propter quam Hoseam non collocaverint Tannaei in principio Prophetarum, etsi non omnium, tam illorum quatuor,[1] haud multum faciunt ad illustrandam Barajtham. Etenim non verisimile est, ipsos Tannaeos de Hosea omnibus Prophetis praeponendo disceptasse, quippe qui totum duodecim prophetarum librum eodem tempore et ab iisdem viris conscriptum esse censerent (de quo vide infra), quemadmodum Josephus quoque in libro, quem scripsit contra Apionem,[2] et Hieronymus in Prologo galeato[3] duodecim prophetas tanquam uno libro comprehensos commemorant.

Alterum quod mirum videtur Amoraeis in ordine Prophetarum, quem Barajtha docet, est Jesajae collocatio. Dijudicant autem, libros trium prophetarum magnorum ita collocatos esse, uti argumentorum similitudo postulabat. Rabbi Samuel Edels (מהר״שא) Ostravensis (circa annum 1600) in commentario libro En Jacob adjuncto commemorat, illud כוליה חורבנא et כוליה נחמתא Amoraeorum indicare totius Jesajae atque Jeremiae argumentum principale. Contra Fuerstius in libro suo „*Der Kanon des A. T.*"[4] asseverat, כוליה נחמתא non posse dici nisi de libri Jesajae parte. In Barajtha quondam fuisse scriptum: ישעיה א׳, ירמיה, יחזקאל, ישעיה ב׳; librarium autem, qui duos fuisse Jesajas ignoraverit, omisisse ישעיה א׳. Illius enim tempore sermones amborum uno comprehensos fuisse volumine. Alio loco Fuerstius affirmat, auctores Barajthae librum Jesajae posuisse post Ezechielem, ut aliquatenus significarent, librum Jesajae nomen gerentem non profectum esse ab uno eodemque propheta. At certo Gemara non agnoscit duos Jesajas. Quod dicit de consolatione, quae insit libro Jesajae, id ipsum dicit de libro uno et indiviso Jesajae, regis

---

1) Hoseas, Jesajas, Amos, Micha. — 2) Vide Jos. c. Ap. I, 8.

3) Confer etiam in Siracidae libro c. 49, 10: καὶ τῶν δώδεκα προφητῶν τὰ ὀστᾶ ἀναθάλοι ἐκ τοῦ τόπου αὐτῶν.

4) Vide p. 15 sqq.

Hiskiae aequalis, utpote quem solum cognitum habet. Ita etiam, quod legimus Berachoth 57^{b}: הרואה ישעיה יצפה לנחמתא, de uno illo Jesaja dicitur, quem omnes noverunt. Quod autem Fuerstius vult de Jesaja priore dici in Vajikra rabba 10, 2, id ipsum probat, non sumi duos Jesajas. Nam Jesajas ille, quem Vajikra rabba in mente habet, etiam auctor fuit versus, qui reperitur in libri Jesajae parte posteriore,[1] neque diversus est ab eo, de quo legimus eodem loco: כל הנביאים מתנבאים נבואות פשוטות ואתה (ישעיה) נחמות כפולות עורי עורי ···· נחמו נחמו.[2] Forsitan dixeris: Gemara utique unum tantum cognovit Jesajam; at Barajtha illa non posuisset Jesajam post Ezechielem, nisi suspicione commota, magnam libri partem ducere originem ab exsilii temporibus Babylonici. Ita sentiunt multi nostrae aetatis theologi, praecedente J. G. Eichhornio in libro „*Einl. in das A. T.*"[3], velut: Fr. Bleek,[4] Knobel,[5] Hitzig,[6] Dillmann,[7] Ewald,[8] Reuss[9] et Strack.[10] Verum enimvero res non ita se habet. Barajtha ipsa totum Jesajae librum aetate Hiskiae scriptum esse testatur. Et si suspiceris, ipsos Tannaeos rationem ordinis librorum, quem tradunt, non perspexisse, deficit argumentum, quod id confirmes. Etenim jam Jesus ben-Sira de Jesajae temporis Hiskiae dicit:[11] πνεύματι μεγάλῳ εἶδε τὰ ἔσχατα καὶ παρεκάλεσε τοὺς πενθοῦντας ἐν Σιών, ἕως τοῦ αἰῶνος ὑπέδειξε τὰ ἐσόμενα καὶ τὰ ἀπόκρυφα πρὶν ἢ παραγενέσθαι αὐτά. Nempe respicit verba, quae exstant in parte altera libri Jesajani.[12] Quamobrem, etiamsi explicare non possemus, cur Jesajam posuerint post Ezechielem, tamen cavendum est nobis, ne ad fictionem Jesajas alterius delabamur.

---

1) Vide Jes. 50, 6.
2) Confer etiam Sifre ad Deut. 33, 1 et Jalkut ad eundem locum.
3) Vide „*Einl. i. d. A. T.*" ed. II. p. 39.
4) Vide „*Einl. i. d. A. T.*" ed. IV. p. 355.
5) Vide „*Der Prophet Jesaja*" ed. III. p. XXIV.
6) Vide „*Jesaja*" p. 475. — 7) Vide „*Jahrbb. 1853*" p. 424. 52. 79.
8) Vide „*Gesch. Isr.'s*" t. VI. p. 422.
9) Vide „*Gesch. d. Bb. d. A. T.*" p. 427.
10) Vide RE. ed. II. tom. VII p. 412 seqq.
11) Vide Sir. 48, 24. 25. — 12) Vide Jes. 46, 10. 62, 2. 3.

Nihilominus verum est, Gemaram sensum genuinum Barajthae non perspexisse. Barajtha enim, historicos Prophetarum libros enumerans, scilicet Josuae, Judicum, Samuelis, Regum, temporis servat ordinem, quare non facile credemus, eam postea alium ordinem esse secutam. Propterea etiam Herzfeldium[1] falli existimamus, qui judicat, in enumeratione librorum Jeremiae, Ezechielis, Jesạjae, Duodecim maximum ambitu librum positum esse in loco primo, minimum extremo. Causam rei aliam esse nobis persuasum est.

Argumenta librorum Josuae, Judicum, Samuelis, Regum tam arcte inter se sunt connexa, ut Jesajam interponere minime liceret. Neque Jesajam post librum Regum ponere potuerunt. Jeremiam enim hunc tenere locum necesse erat, qui aetate ultimi regis Judaeorum vixit, quem et ipsum fuisse auctorem libri Regum Barajthae sententia est. Jeremias autem et Ezechiel aequales divelli non potuerunt. Id unum igitur restabat, ut Jesajam ponerent aut ante aut post Duodecim. Post Malachiam, postremum omnium prophetarum[2] collocare Jesajam non licebat. Ergo ut praeponerent Jesajam libro Duodecim necesse erat. Quod tanto confidentius fecerunt, quia in oculos incurrebat, Jesajae et Hoseae tempora libris ipsorum inscripta esse prorsus eadem.[3] Praeterea id quoque poterant reputare, vaticinia utriusque libri spectare ad idem fere temporis spatium, quod incipit ab Uzia atque terminatur aetate Cyri, regis Persarum.

Haec ordinis ratio jam Amoraeis non fuit perspicua. Melito autem et Origenes Jesajam praeposuerunt Jeremiae, quia libros et historicos et propheticos enumerant separatim. Nihil obstabat, quin Jesajam ponerent primo in prophetarum loco. Inde vero, quod Hieronymus habet Jesajam in principio, cognoscimus, fuisse etiam Judaeos, qui nexu librorum

---

1) Vide ejus „*Gesch. Isr.'s*“ tom. III.

2) Vide Sota 48b. ת"ר משמתו חגי זכריה ומלאכי נסתלקה רוח הקודש מישראל:

3) Confer Jes. 1, 1 et Hos. 1, 1: בימי עזיהו יותם אחז יחזקיה מלכי יהודה cum Pesachim 87a בפרק אחד נתנבאו ד' נביאים וגדול שבכולן הושע:

Vide etiam Mischpete ha-Teamim ed. Baer-Strack § 70: ספר הושע בן בארי הוא ספר שנים עשר נביאים.

Regum et Jeremiae neglecto Jesajam interponerent illis atque ita libros historico-propheticos separarent a libris mere propheticis, quam separationem Prophetarum Massoretae postea assensu suo comprobaverunt.

B.

סדרן של כתובים ····· ותושבחות:

Hagiographorum in ordine a Tannaeis tradito mirum visum est Amoraeis, cur liber Jobi non sit collocatus in principio, quippe quod, cum Jobus vixisset aetate Mosis, veterrimum sit Hagiographorum. Respondent, non collocandum fuisse primo in loco librum, qui agat de rebus tam adversis. Quod liber Ruth, quamquam et ipsum loquatur de rebus adversis, Hagiographa inchoat, id esse factum, quia rebus adversis in eo commemoratis faustus fuerit exitus. Regerere possis cum מהר"שא,[1] etiam Jobum non esse defunctum sine eventu prospero. At res adversae, quae contigerant Ruthae, cum sorte Jobi collatae Amoraeis non visae sunt pari gradu adversae. Jobus enim eorum ex sententia miserrimus fuit hominum.[2] Sic Amoraei.

Sin quaesimus, num perspexerint Amoraei causam veram, propter quam Tannaei collocaverint Jobum inter Psalmos et Proverbia, dicendum est, neque eos satis explicare posse hanc Jobi collocationem, neque omnino esse verisimile, Barajtham hic talem argumenti librorum habuisse rationem, qualem alibi nusquam.

Quod deinde dicit Jochanan bar-Nappacha de significatione nominis Ruth formati, ut putat, a verbo רוה,[3] id cogitationes Tannaeorum de loco libri Ruth certe non exprimit. Amoraei vero, dubitationibus de loco quem teneant Jobus et Ruth sic

---

1) Vide commentarium Samuelis Edels ad locum.

2) Vide Berachoth 57b הרואה] איוב ידאג מן הפורענות] et Bereschith rabba c. 33 דרש ר׳ עקיבא מעשה דור המבול בגנזק ולא בכו וכיון שהזכיר להם מעשה איוב מיד בכו:

3) Vide etiam Berachoth 7b.

remotis, non habebant, quod ulterius quaererent. — Clarum est, ordinem Hagiographorum illis visum esse chronologicum; Jobum solum putant aliam propter causam non eo loco, qui ei ratione temporis conveniebat, collocatum esse.

Raschi igitur mentem Amoraeorum et, ut nos sumus persuasi, etiam Barajthae perspicit, cum dicit: „Liber Ruth primus est, quoniam Ruth vixit aetate Judicum. Psalmos David composuit......... Sequuntur tres Salomonis libri: Proverbia et Ecclesiastes, qui duo sunt libri Sapientiae, et Canticum, quod Salomo videtur composuisse senex.[1] Threnos confecit Jeremias, qui fuit post Salomonem. Daniel post Jeremiam vixit exsul aetate Nebuchodonosoris, Ester post illum temporibus Ahasveri, Ezra post Esteram sub rege Dario secundo, qui Ahasvero successerat". Addimus: inter libros, quos confecit Ezra, liber Ezrae proprie dictus primum obtinet locum, quia historiam Esterae, quae vixerit in exsilio, memoria reditus in Palaestinam excipere oportebat. Liber Chronicorum omnes complectitur res, quae alias narrantur in libris Scripturae Sacrae, ab Adamo usque ad Ezrae tempora. Hanc ipsam ob causam postremo loco collocandus erat.[2]

De tempore Ruthae, Davidis, Salomonis, Jeremiae nulla poterat esse controversia. Contra, quo tempore vixerint Daniel, Ester, Ezra, non ita facile erat dicere. Josephus[3] in errore versatus est, Ahasverum, cujus fit mentio in libro Ester,[4] esse Artaxerxen, qui successerit Xerxi, Xerxen autem esse Artasastam Ezrae et Nehemiae.[5] Itaque Ezram aetate praecessisse Esteram censet. At traditio Talmudica aliter sentit. Mardochaeum sumit illum ejus nominis esse virum,

---

1) Barajtha, quia duos libros Sapientiae (Proverbia et Ecclesiasten) divellere nolebat, ea ipsa de causa Canticum Canticorum collocavit in fine. Quid de tempore senserit, quo Canticum Salomoneum compositum sit, nihil refert.

2) Wellhausen in libro „Bleek, Einl. in d. A. T." ed. IV p. 293 asseverat, librum Chronicorum collocatum esse in fine, quia postremus fuerit eorum qui in canonem recepti sunt. At id omni caret auctoritate. Barajtha enumerando libros sacros ordinem sequitur temporis quo sint scripti, non quo in canonem relati. — 3) Vide Antt. XI, 6. — 4) Vide Ester 1, 1.

5) Vide Ezra 4, 7. 7, 1. Neh. 2, 1.

qui anno secundo Darii reversus est in Palaestinam,[1] eumque prophetae munere functum esse cum Haggaeo, Zacharia et Malachia.[2] In libro Seder Olam, qui quamquam perperam Tannaeo Jose bar-Chalephta adscribitur, tamen veterrimam Judaeorum traditionem de chronologia regni Persarum exhibet, legimus,[3] Belsazarum successisse Dario Medo, quem regno secutus sit Cyrus. Post Cyrum regem fuisse Ahasverum, cujus in locum Darius successerit, qui in libro Ezrae nuncupetur Artasasta. Idem reperitur in libro Seder ha-Kabbala, quem composuit anno 1161 Abraham ben-David (הרא'בד) Toletanus, et in commentariis Raschii ad Dan. 5, 1. 9, 1. Ester 1, 1. Ezr. 4, 7. Neh. 2, 1.

At veram causam, propter quam Jobum posuerit Barajtha post Psalmos, Raschi non perspexit. Jobus, inquit, Salomonem praecedit secundum sententiam illius qui aetate reginae Sabaeorum eum vixisse judicat, scilicet Tannaei Nathani, qui fuit Jehudae I. patriarchae et Rabbi Meïri aequalis.[4] At ipsa Gemara sententiam ejus producit tanquam unam de multis. Barajtha minime potuit hac opinione inniti, siquidem Mosen tradit scripsisse librum Jobi.

Aliam autem arcessamus Barajtham, quam jam supra citavimus.[5] Illic libri Psalmorum, Proverbiorum, Jobi appellantur שלשה כתובים גדולים, atque libri Cantici, Ecclesiastae, Threnorum כתובים קטנים.[6] Mirum videri possit, illos sex libros com-

---

1) Confer Ezra 2, 2. Neh. 7, 7 cum Megilla 16b מרדכי היהודי משנה למלך אחשורוש · · · · · · מעיקרא חשיב ליה למרדכי בתר ד׳ (Ezra 2, 2) ולבסוף בתר חמשה (Neh. 7, 7):

2) Vide Megilla 15a ברוך בן נריה ושריה בן מעשיה ודניאל מרדכי בלשן וחגי זכריה ומלאכי כולן נתנבאו בשנת שתים לדריוש:

3) Vide Seder Olam capp. 26. 28—30.

4) Vide Gemaram ad Barajtham, quam tractamus.

5) Vide Berachoth 57b.

6) Divisionem eam, de qua dicit Fuerstius (Kanon, p. 59. 60.), in כתובים ראשונים et כתובים אחרונים nunquam fecerunt doctores Talmudici. De „Hagiographis posterioribus“ nusquam est sermo, et „Hagiographa priora“, quae commemorantur Sota 7b*, intelligenda sunt de omnium librorum sacrorum veterrimis, quibus una cum Jobo adnumerant ipsam Thoram (vide Raschi ad locum).

*) Sota 7b: ת'ר אומר לפניה דברים של הגדה ומעשים שאירעו בכתובים הראשונים: (Raschi: בדברים הכתובים בתורה שנעשו בימים הראשונים)

memorari solos ex toto Hagiographorum numero. Quo Fuerstius adductus est, ut librum Ester ab auctore Barajthae diceret non habitum esse pro canonico.[1] At si ita esset, etiam libros Ruth, Ezrae, Chronicorum, Danielis e canone exclusisset, quod Fuerstius statuere justis de causis non audet. Persuasum est nobis, poëticos potissimum Hagiographorum libros appellatos esse Hagiographa eosque in duas illas divisos esse partes. Unde argumentamur: si Tannaei sibi proponebant, omnia Hagiographa in ordinem chronologicum redigere idque ita, ut Hagiographa illa majora et minora non divellerent, necesse erat, ut sequerentur ipsum illum ordinem, quem tradit Barajtha. Liber enim Ruth ponendus erat ante librum Psalmorum. Jobum praeponere libro Ruth non poterant nisi disjungentes Hagiographa majora. Post librum Proverbiorum ponenda erant Ecclesiastes et Canticum. Jobus igitur, e numero Hagiographorum majorum non sejungendus, nullo alio loco collocari potuit, nisi illo, quem Barajtha ei assignat, inter libros Psalmorum et Proverbiorum. Quod ita se habere, etiam textu Barajthae comprobatur, si respicimus qua ratione adhibet particulam conjunctivam ו. Prima enim enumerantur tria Hagiographa majora praecedente Ruth, deinde tria Hagiographa minora, tum libri Danielis et Esterae in exsilio viventium, denique Ezrae Chronicorumque libri post exsilium compositi.

De ratione quam Tannaeos putamus esse secutos in libro Jobi collocando conferre juvat quae Rabbi Isaac dicit in Tosaphoth: „Propterea collocaverunt Jobum juxta Psalmos et Proverbia, quia tres illi libri ejusdem sunt generis. Habent enim omnes formam poëticam et versus breves eandemque accentuationem.[2] Quod autem Jobum non posuerunt post Proverbia, id fecerunt, ut ne divellerent libros, quos Salomo scripsit."

1) Vide Fuerstius *„Kanon"* p. 57. 58.

2) Rabbi Isaac putat, jam Ezram recitavisse Scripturam Sacram secundum accentus (vide Megilla 3[a], Nedarim 37[b]). Tannaeorum certe temporibus hanc cantillationem, quam accentuatio posterius inventa systematice stabilivit, jam in usu fuisse indubium est.

C.

ומי כתבן ········ שופטים ורות:

Libros sacros qui composuerit, in Barajtha quaeritur atque enumerando auctores librorum secundum ordinem temporis respondetur. — Diu usque ad hunc diem disceptatum est, quo sensu Barajtha utatur illo כתבן. Herzfeldius[1] vult sensum esse quadruplicem, כתב significare et „scribere aliquid ore traditum“, et „colligere aliorum vel dicta vel scripta“, tertio „conscribere librum“, denique etiam „referre aliquid in canonem.“ Eadem fere est Fuerstii sententia.[2] Haevernickius affirmat,[3] כתב omnino non dici de scribendo, sed solummodo de referendo libros in canonem. Aliter Blochius,[4] qui כתב idem esse contendit atque describere ad usum publicum. — Sed Gemara nullam aliam agnoscit significationem quam conscribendi sive componendi; agit enim de viris qui libros concluserint.[5] Omnibus locis, etiam in Megilla 7[a],[6] כתב nihil aliud significat nisi actionem conscribendi, quae est vivae traditionis contraria. Jure igitur Strackius assentitur Raschio, qui כתב ita ubique intelligit.

Jam vero Barajtha docet, Mosen scripsisse et librum nomen ipsius gerentem i. e. Thoram et sectionem de Bileamo et Jobum. Quod ad Thoram attinet, non negatur, alium quempiam addidisse octo versus postremos qui agunt de morte Mosis. Josuae haec clausula adscribitur in sequentibus. Mirum autem videtur, quod seorsim Mosi attribuit sectionem de Bileamo.[7] Quae qua auctoritate fuerit apud Judaeos, conspicuum est ex Berachoth 12[b], ubi quaeritur, cur non sit

---

1) Vide ejus *„Geschichte Isr.“* tom. III. p. 94.

2) Vide ejus *„Kanon“* p. 129—134.

3) Vide ejus *„Hist. Kr. Einl.“* tom. I. p. 39. 40.

4) Vide ejus *„Studien“* p. 127.

5) Vide Gemaram ad Barajtham et Strackium in RE loc. cit.

6) שלחה אסתר לחכמים כתבוני בספר. Fuerstius et Levy (in lexico Neohebr. sub voce כתב) non recte sentiunt. Putant enim, hic esse sermonem de libello Ester in canonem referendo.

7) Numeri 22, 2—25, 9.

recepta in preces quotidianas, quamquam perdigna fuerit, quae recipiatur, propter verba כרע שכב כארי וכלביא מי יקימנו.[1] Attamen inde non patet, cur sectio illa sit enumerata separatim. Nempe id factum est, quia facile suspicio oriri poterat, eam non esse a Mose scriptam. Ad Raschii igitur revolvimur sententiam: „[Mose scripsit] vaticinium atque effata ejus [scil. Bileami], quamquam haec non necessarie pertinebant ad Mosen ejusque disciplinam et ordinem rerum ab illo gestarum“.

Jobi librum Fuerstius[2] ait, a doctoribus Talmudicis existimari scriptum esse post exsilium, tantummodo argumentum ejus depromptum esse ex aetate Mosis. At, quod legimus in Gemara איוב מעולי גולה היה, id refertur ad Jobum ipsum, non ad auctorem libri ejus, ut Fuerstius statuit. Etiam ipsa Barajtha non hoc sibi vult, vixisse Jobum aetate Mosis, ut ait Fuerstius, sed ipsum librum Jobi scriptum esse a Mose.

Quod autem Barajtha persuasum sibi habet, Jobum vixisse aut ipsa Mosis aetate, aut ante eum, id plane concordat cum prisco testimonio, quod libro Jobi Graeco adscriptum est. Ibi legimus: οὗτος (Ἰώβ) ἑρμενεύεται ἐκ τῆς Συριακῆς βίβλου, ἐν μέν γῇ κατοικῶν τῇ Αὐσίτιδι ἐπὶ τοῖς ὁρίοις τῆς Ἰδουμαίας καὶ Ἀραβίας· προϋπῆρχε δὲ αὐτῷ ὄνομα Ἰωβάβ ······· ἦν δὲ αὐτὸς πατρὸς μὲν Ζαρέ ἐκ τοῦ Ἡσαῦ υἱῶν υἱός, μητρὸς δὲ Βοσόῤῥας, ὥστε εἶναι αὐτὸν πέμπτον ἀπὸ Ἀβραάμ. Καὶ οὗτοι οἱ βασιλεῖς οἱ βασιλεύσαντες ἐν Ἐδώμ .... πρῶτος Βαλὰκ ὁ τοῦ Βεώρ .... μετὰ δὲ Βαλὰκ Ιωβὰβ ὁ καλούμενος Ἰώβ. Non est hic locus ut explanemus, quae ratio intercedat inter hanc genealogiam apocrypham et Toledoth illas, quas legimus in Genesis cap. 36. Id modo monemus, Jobum et Jobabum,[3] item Zeram patrem Jobabi et nepotem Esavi[4] ab Apocrypho illo confundi. Atque consideratione dignum est, nomen quod ibi Graece scribitur Βαλὰκ ὁ

---

1) Vide Num. 24, 9. Haec enim verba in Israelitas precationes facientes convenire existimabant. Vide etiam jer. Berachoth 1,8: ר׳ שמואל בדין היה שיהו קורין פרשת בלק ובלעם בכל יום · · · · · ר׳ הונא אמר מפני שכתיב בה שכיבה וקימה· ר׳ יוסי בי ר׳ בון אמר מפני שכתיב בהן יציאה ומלכות (Num. 23, 21. 22)· אמר ר׳ אלעזר מפני שכתובה בתורה (Num. c. 22—25) בנביאים (Micha 6,5) ובכתובים (Nehem. 13, 2).

2) Vide ejus „*Kanon*“ p. 80. — 3) Vide Genes. 36, 33.

4) Vide Genes. 36, 13.

τοῦ Βεώρ in exemplari Aramaïco scriptum fuisse בלע בן בעור,[1] quo facile fieri potuit, ut regem Idumaeae illum in Gen. c. 36 recensitum et vatem בלעם בן בעור commiscerent. — Iisdem fere temporibus Jobum vixisse confirmant Levi bar-Lachma, Rabba ceterique doctores in Gemara ad locum Barajthae, in Talmude Hierosolymitano,[2] in Midrasch Rabba[3] et in Jalkute.[4] Quarum opinionum cui adstipuletur Barajtha, ignoramus; id tantum scimus, non fieri potuisse, quin in memoriam vocaret terra Uz[5] unum ex illis עוץ in Genesi,[6] Temanita[7] תימן illud in Gen. 36, 11. 34., Schuchita[7] שוח illud Gen. 25, 2, Buzita[7] בוז Gen. 22, 21, quae omnia aetatem sive Mosaicam sive Antemosaicam indicare visa sunt. Sin autem certum iis erat, Jobum illis temporibus vixisse, facile ad opinionem delabi poterant, auctorem libri fuisse Mosen, quem solum eumque praeclarum noverant scriptorem priscae illius aetatis.

Non opus est dicere quidquam de Josua auctore libri sui. Quod autem tradunt, Josuam scripsisse Deuteronomii octo versus postremos, non sine causa fecerunt. Nam cum Moses non potuerit suimet ipsius narrare mortem, Josuam utpote Mosis amicum et successorem id fecisse veri simillimum fuit.

Samuelem volunt composuisse libros Judicum, Samuelis et Ruth. Librum, cui nomen Samuelis inscriptum est, hac ipsa de causa ei adscripserunt, praesertim cum דברי שמואל, quorum in I. Chron. 29, 29 fit mentio, id confirmare viderentur.[8] Neque mirum erat, quod Samuelem, quippe Judicum postremum, pro auctore librorum et Judicum et Ruth habebant, cum liber Ruth

---

1) Vide Genes. 36, 32.

2) Vide jer. Sota 5, 8: אימתי היה איוב׳ רש׳ב׳ל בשם בר קפרא. אמר׳ בימי אברהם אבינו היה׳׳׳׳׳׳ ר׳ אבא אמר בימי אבינו יעקב ודינה היתה אשתו׳׳׳׳׳׳ ר׳ לוי אמר בימי השבטים היה׳׳׳׳׳ ר׳ יוסי בן חלפתא אמר בירידתן למצרים היה ובעלייתן מת׳׳׳׳׳ תני ר׳ ישמעאל איוב מעבדי פרעה היה ומגדולי פמיליירא שלו׃

3) Vide Bereschith rabba 57, 4. — 4) Vide Jobi init.

5) Vide Iob. 1, 1. — 6) Vide Gen. 10, 23. 22, 21. 36, 28.

7) Vide Iob. 2, 11.

8) Vide commentarium Raschii ad verba חנם כתובים על דברי שמואל (I. Chron. 29, 29); dicit enim: id est בספר שמואל.

profiteatur ipse,[1] Rutham vixisse temporibus Judicum.[2] Quod autem narratur obitus Samuelis in libro illius, non magis potuit esse impedimento quam relatio obitus Mosis in Pentateucho.

D.

דוד כתב ספר תילים ····· וקינות:

Difficilius ad explicandum est, quod dicitur in Barajtha, librum Psalmorum a Davide conscriptum esse על ידי עשרה זקנים. Priusquam vim particulae על ידי exquirere conamus, contemplemur viros illos, qui aliquomodo componendi libri Psalmorum adjutores fuisse traduntur.

In libro Psalmorum commemorantur quasi singulorum Psalmorum auctores: David, Moses (psalmi 90), Salomo (psalmorum 72 et 127), Asaph (psalmorum duodecim), filii Korae (psalmi 89). His ex viris Barajtha tantum nuncupat Mosen, Asaphum, Hemanum, filios Korae, omittit Salomonem et Ethanum, addit autem Adamum, Melchisedecem, Abrahamum, Jeduthunum. — Simile quid exstat in Schir ha-Schirim rabba 4, 4, ubi legimus: עשרה בני אדם אמרו ספר תהילים· אדם הראשון ואברהם משה ודוד ושלמה:. His de quinque viris non litigari, additur. Praeter eos autem enumerare Rabhum (רב): אסף והימן וידותון ושלשה בני קרח ועזרא, Rabbi Jochananem: אסף הימן וידותון ושלשה בני קרח אחד ועזרא.[3] De hoc loco magna est controversia inter commentatores, qui omnes non viderunt, Rabhum et Jochananem omnino non dissentire de viris, quos enumerent, sed, ut legimus postea, de duobus ex illis, scilicet de Asapho, num fuerit Korae filius, et de Jeduthuno, num revera fuerit homo.[4] Non necesse est interpretemur totum illum locum. Id

---

1) Vide Ruth 1, 1. ויהי בימי שפוט השופטים.

2) Vide etiam Ruth rabba init.: ויהי בימי שפוט השופטים ····· רמי הוו׳ רב אמר ברק ודבורה הוו׳ ריב"ל אמר שמגר ואהוד הוו׳ רב הונא אמר דבורה וברק ויעל הוו:

3) Vide etiam Koheleth rabba 7. 19.

4) In Midrasch Tehillim ad ps. 1., ubi non eorundem fit mentio virorum omnium, quorum in Schir ha-Schirim rabba, textus videtur esse corruptus.

tantum reputemus, uti in Barajtha, ita illic enumerari Adamum, Abrahamum et Jeduthunum, omitti Ethanum, at contra Barajtham introduci Salomonem et Ezram, praetermitti Melchisedecem. — Salomonem Ezramque Barajtha non poterat nominare, quoniam Davidem totius libri Psalmorum scriptorem esse credit; et ipsi Amoraei non quaerunt, cur Salomonis vel Ezrae non fiat mentio. Apparet igitur, psalmos 72 et 127 illis temporibus adscriptos fuisse Davidi, qui composuerit eos in Salomonem filium. Id confirmatur loco Midraschi in Schir ha-Schirim rabba init., qui de Davidis Salomonisque carminibus disserens, Salomoni ne unum quidem psalmum adscribit.[1]

Sed cur Ethanum Ezrahitam omnes omittunt? Dixeris, eum habitum esse filium Korae sicuti Hemanum Ezrahitam.[2] At vero non omiserunt Hemanum. Itaque sumendum est, causam sitam esse in eo, quod in Gemara Rabh profitetur: איתן האזרח זה אברהם. Quod enim dicit Jesajas:[3] מי העיר ממזרח, id insulse referri solitum est ad Abrahamum.[4] Nunc etiam perspicimus, cur Abrahami fiat mentio in Barajtha. Abrahamum opinabantur panxisse psalmum 89.

Reliquum est, ut dicamus de Adamo, Melchisedece et Jeduthuno.

Adamo Rabbi Chanina in Bereschith rabba c. 22 adscribit psalmum 92.[5] Fuerunt quoque, qui psalmum 139 ei adscriberent propterea quod solum Adamum versus 5. 14. 15. 17. hujus psalmi, qui de creatione hominis primi agere videbantur, pronuntiare potuisse putabant.[6]

Abrahamum esse sacerdotem aeternum psalmi 110 docent

---

1) Vide etiam Midrasch Tehillim et commentarium Raschii ad Psalmos 72 et 127.

2) Vide ps. 88, 1. — 3) Vide Jes. 41, 2.

4) Vide Jalkut et Raschi ad I Reg. 5, 11, Vajikra rabba 9, 1, Bamidbar rabba 11, 3, Koheleth rabba 7, 23, inprimis autem Targum ad ps. 89, 1, quod reddit משכיל לאיתן האזרחי hisce verbis: שכלא טבא דאתאמר על ידא דאברהם דאתא מן מדינחאה:

5) Vide Beresch. r. c. 22. עמד אדם הראשון ואמר מזמור שיר ליום השבת; confer Vajikra rabba 10, 5. Koheleth rabba 1, 2.

6) Vide Nidda 31[ab], Erubhin 18[a], Sanhedrin 38[b], Chagiga 12[a], Pesachim 2[b], Schabbath 116[a], Midrasch Tehillim ps. 139.

Rabbini in jer. Taanith 1, 1 et in Nedarim 32b, ubi Rabbi Ismael dicit, Abrahamum accepisse sacerdotium propter sermonem Melchisedecis de Deo parum reverentem (על דברתי מלכיצדק).[1] Ipsum Melchisedecem auctorem esse psalmi, nemo est qui perhibeat. Inscriptio לדוד obstare videbatur. Attamen verba על דברתי מלכיצדק[2] de Melchisedece Abrahamum induente sacerdotio interpretans Barajtha potuit Melchisedecem quodammodo pro auctore psalmi habere. Inscriptionem לדוד Barajtha certe non putavit esse contrariam, quae totius psalterii auctorem primarium opinatur esse Davidem, sed non sine opera aliorum.

Superest Jeduthun, cujus nomen, cum למנצח conjunctum, legimus psalmis 39. 62. 77 inscriptum, quos composuisse vel Davidem (ps. 39. 62) vel Asaphum (ps. 77) ibidem perhibetur. Recordari juvat, למנצח reddi ab Alexandrinis „εἰς τὸ τέλος“, a Targume לשבחא, et לידותון illorum psalmorum verti a Targume לשבחא על פומי דידותון vel לשבחא על יד ידותון. Itaque לידותון non poterant referre ad symphoniae moderatorem, sed de poëta id esse dictum arbitrabantur, qui una cum Davide vel Asapho composuerit psalmum. Certo Barajtha ita judicabat.

Denique commemorare volumus, ex testimonio traditionis Mosen non modo composuisse psalmum 90, sed etiam multos alios psalmos. Vide Midrasch Tehillim ad ps. 90, ubi decem psalmi illum sequentes Mosi adscribuntur, et Pesachim 117a, ubi Elazar ben-Jose dicit, Mosen scripsisse psalmorum illorum seriem,[3] quae Hallel nuncupatur.

Sed quomodo Barajtha vult intelligi על ידי? Jam Hebraicus Scripturae Sacrae sermo particula על ידי utitur variis modis.[4] In sermone Talmudico על ידי non nunquam significat

---

1) כיון שהקדים ברכת אברהם לברכת המקום הוציאה [הכהונה] מאברהם שנאמר ויברכהו ויאמר ברוך אברם לאל עליון קונה שמים וארץ וברוך אל עליון׳ אמר לו אברהם׳ וכי מקדימין ברכת עבד לברכת קונו׳ מיד נתנה לאברהם שנאמר נאם ה׳ לאדני שב לימיני עד אשית אויביך הדום לרגליך׳ ובתריה כתיב נשבע ה׳ ולא ינחם אתה כהן לעולם על דברתי מלכיצדק׳ על דיבורו של מלכיצדק; vide etiam Sanhedrin 108b, Bereschith rabba 39, 8. 46, 5 et Jalkut ps. 110.

2) Vide ps. 110, 4. — 3) ps. 113—118.

4) Vide Genes. 42, 37 „in manum alicujus“ (scil. dare); Job. 1, 14. I Chron. 6, 16. 25, 2. 3. 6. „praeeunte vel administrante quopiam“; II Chron. 23, 18. Ezra 3, 10. „secundum praeceptum alicujus“ (mortui),

„loco alicujus“.[1] At sive reddas על ידי praepositione „pro“, sive praeferas reddere „secundum rationem“, semper quaerendum est, utrum ad manum fuerint Davidi in componendo libro poëmata ipsa illorum senum vel literis exscripta, vel ore tradita, an pepigerit David omnes psalmos ipse, ita quidem, ut aliquot quasi ex mente animoque priscorum illorum hominum hauriret. Hoc sentit Blochius,[2] illud Oehlerus.[3] At injuria dictitat Blochius: „Nempe Rabbini non voluerunt affirmare, Adamum et Melchisedecem composuisse psalmos“. Legimus enim in Pesachim 38[a], Adamum ex Rabhi sententia locutum esse Aramaice, quippe qui utatur verbo רעיך in psalmi 139 versu 17. Atque si enumerant in Koheleth rabba[4] Rabh et Rabbi Jochanan Adamum et Melchisedecem tanquam psalmorum auctores una cum Davide et Salomone, non possumus non concedere, Judaeos tam credulos fuisse, ut somniarent, Adamum fuisse poëtam et condidisse carmina. Rectius igitur Raschi: „David, inquit, texuit in psalterio verba, quae dixerant senes illi, qui fuerunt aut ipsius aetate aut ante ipsum“. Insuper provocamus ad id, quod dicit Rabbenu Tam in Tosaphoth, Jobum fuisse scriptum על ידי ארבעה זקנים, et ad locum in Kohelet rabba et Schir ha-Schirim rabba,[5] qui de compositione libri Psalmorum habet haecce: ר׳ הונא בשם ר׳ אחא · אע״פ שעשרה בני אדם אמרו ספר תהילים מכלהון לא נאמר על שמותם אלא על ידי דוד מלך ישראל · בשעה שבקשו עשרה צדיקים לומר ספר תהילים אמר להם הקב״ה כלכם נעימים וחסידים ומשובחין לומר הימנון (ὕμνον) לפני אלא דוד יאמר על ידי כלכם · למה · שקולו ערב · הדא הוא דכתיב ונעים זמירות ישראל:

Perdifficile dictu est, quomodo Barajtha sibi persuadere potuerit, pervenisse psalmos illos ad Davidem. Veri simile est, hanc quaestionem illis negotium omnino non facessivisse. Certo non cogitaverunt de scriptis carminibus, quae praesto fuerint Davidi. Nam de carminum compositione semper utuntur verbo אמר; quod etiam mori Tannaeorum respondet,

---

1) Vide Aboda zara 39[a], Megilla 24[a] et Blochii „*Studien*“ p. 126.
2) Vide „*Studien*“ p. 126. — 3) Vide RE tom. VII. ed I. p. 246.
4) Vide Koheleth rabba 7, 19.
5) Vide Koheleth rabba 7, 19 et Schir ha-Schirim rabba 4, 4.

qui ore tradiderunt omnia neque licitum esse putabant, literis committere institutionem. Quam parum solliciti fuerint de modo propagationis psalmorum, elucet ex Bereschith rabba 22, 13, ubi Rabbi Levi dicit de psalmo 92: המזמור הזה אדם הראשון אמרו ונשתכח מדורו ובא משה וחדשו על שמו, necnon e fabula de libris sacris Ezrae inspiratione in memoriam revocatis, quam fabulam narrat liber quartus Ezrae cap. 14.

Jeremiam Barajtha tradit scripsisse librum suum, librum Regum et Threnos. Quod adscripserint Tannaei librum Jeremiae huic ipsi prophetae, id dixeris per se intelligi. At videbimus, nulli alii prophetae Barajtham adscripsisse librum nomen ipsius gerentem, quod ut explanet, Raschi aliud hic dicit, aliud illic.[1] Nos inde concludimus, Barajthae compositionem et vaticiniorum et poëmatum et proverbiorum non idem visum esse ac conscriptionem. Auctorem materiae et scriptorem libri nonnisi ibi esse eundem arbitrabantur, ubi testimonia certa id affirmabant. Jeremias autem solus erat propheta, cujus in libro non solum jussum Dei commemoratur, ut conscribat vaticinia omnia,[2] verum etiam narratur, Jeremiam id ipsum exsecutum esse.[3] Barajtha autem neque potuit velle excludere amanuensem operae, neque sumit, Jeremiam vel librarium ejus sermones dudum scriptos tantummodo transscripsisse. Accedit quod causa non erat, propter quam ullam libri partem a Jeremia non esse conscriptam existimarent. Quod enim vetus traditio Jeremiae librum duas dividit in partes, quarum altera in 30, 3, altera in 51, 64 terminatur,[4] non obesse putaverunt, quominus Jeremias etiam scripserit cap. 52, quo narrantur res quarum ipse fuerat spectator et testis.[5] Ita certe Barajtha sentit, quae librum quoque Regum adjudicat Jeremiae. Ille enim temporibus exsilii erat scriptor unicus, quem

---

1) Vide infra commentationem nostram ad libros Jesajae, Ezechielis, Duodecim, Daniel.

2) Vide Jerem. 30, 2. 36, 2. 28. — 3) Vide Jerem. 36, 4, 32. 45, 1.

4) Vide Sifre et Jalkut ad Deut. 1, 1.

5) Traditur in libro Seder Olam (c. 26), Nebuchodonosorem anno vicesimo septimo regni, expugnata Aegypto, deportavisse Jeremiam et Baruchum in Babyloniam.

noverant Tannaei. Insuper cap. 52 libri Jeremiae cum fine libri Regum concinit.

Threnos denique jam versio Alexandrina[1] et Targum[2] adscribunt Jeremiae.[3] De harum elegiarum auctore nemini dubitatio oriri poterat.

E.

חזקיה וסיעתו כתבו ····· עד לו:

Hiskias sociique ejus traduntur esse scriptores librorum Jesajae, Proverbiorum, Cantici, Ecclesiastae. Dubitari non potest, quin Barajtha verbo סיעא designare velit viros illos, quorum fit mentio in Prov. 25, 1.[4] Consilium judicum eos fuisse putabant Amoraei,[5] quod consilium Fuerstius dicit[6] permansisse 280 annos ab aetate regis Hiskiae usque ad tempora Ezrae (724—444). At testimonia vere probantia afferre nequit. Argumentatur, collegium illud, quod scripserit vel ediderit libros, qui maximam partem trahant originem a seculis aetatem Hiskiae sequentibus, hanc ipsam ab causam non interiisse Hiskia rege moriente. At ex animo excidit ei, Jesajae librum secundum Barajthae sententiam non alius prophetae continuisse vaticinia quam Jesajae, et libros Proverbiorum, Cantici, Ecclesiastae proverbia exhibere, carmina sermonesque ipsius Salomonis. — Wrightius,[7] duce Fuerstio, de viris Hiskiae hunc in modum disserit: „The college of Hezekiah continued in existence for centuries after the death of that monarch. — It is highly probable that this body decided from time to time what books were to be regarded as of Divine authority. — The men of Hezekiah no doubt included in their number some

---

1) Vide Al. Thren. init.: ἐκάθισεν Ἱερεμίας κλαίων, καὶ ἐθρήνησε τὸν θρῆνον τοῦτον ἐπὶ Ἱερουσαλήμ.

2) Vide Thren. 1, 1: אמר ירמיה הנביא.

3) Vide etiam Moed qatan 26[a] et Raschi ad Thren. 1, 1, qui Threnos vult illum fuisse librum, quem Jojakim rex jussit comburi (Jerem. c. 36).

4) גם אלה משלי שלמה אשר העתיקו אנשי חזקיה מלך יהודה.

5) Vide Jalkut ad Prov. 25, 1. — 6) Vide „*Kanon*“ p. 27. 131.

7) Vide librum ejus „the book of Koheleth“, London 1883. p. 5.

of the „former prophets“ (Zech. 1, 4) and others known afterwards as the „latter prophets“. — His de rebus doctores Talmudici ne verbulum quidem dicunt. Illi ponunt, collegium Hiskiae ex aequalibus Hiskiae constitisse.[1] Sin dixeris, rem potuisse se ita habere ut ait Fuerstius, contra Tannaeorum mentem historiam fingis, nullis fultam argumentis.

Amoraei non mirabantur, quod viri Hiskiae scripserint librum Jesajae, siquidem de hac re omnino non disceptant. Raschi autem, ut adminiculet Barajtham: „Jesajas, inquit, necatus est a Manasse rege; prophetae autem libros suos, scribere non solebant nisi ante mortem“. At non intelligitur, qua de causa sumi oporteat, Jesajam senem morte impeditum esse, quo minus librum suum componeret. Immo Barajtha Jesajam existimat non scripsisse librum suum, quia non profitetur, se id fecisse. Alium autem scriptorem reperire non potuerunt, qui temporibus Jesajae vixerit, nisi illos Hiskiae viros, in libro Proverbiorum commemoratos. Quibus quominus librum Jesajae adscriberent, non obstabat Jesajae martyrium, quod Manassis tempore passus esse traditur.[2] Nihil enim liber Jesajae continet, quod Hiskiae temporibus pronunciari non potuit, quoniam res postremae, de quibus illic agitur, ad annum decimum quintum ante obitum Hiskiae referuntur.[3]

Cur librum Proverbiorum viris Hiskiae adscribendum esse censeant Tannaei, apparet. Inscriptio secundae partis Proverbiorum[4] id indicare videbatur. Jam vero si viri Hiskiae scripserunt unum Salomonis librum, veri simile erat, eos etiam reliquos libros Salomonis composuisse. Itaque Canticum quoque et Ecclesiasten illis adscripserunt. Fuerstius, allegans Schir ha-Schirim rabba 1, 1, vult probare, libros Salomonis tantummodo sub nomine ejus[5] esse scriptos. At eodem loco componuntur verba ואלה דברי דוד האחרונים[6] cum verbis דברי קהלת בן דוד,[7] unde elucet, Salomonem non minus habitum esse

1) Vide Sanhedrin 26ª, Jalkut ad Prov. 25, 1 et Midrasch Mischle ad eundem locum.

2) Vide Jebamoth 49ᵇ et Mischpete ha-Teamim ed. Baer-Strack § 70.

3) Vide Jer. 36, 1. 38, 5 et II Reg. 18, 2.

4) Vide Prov. 25, 1. — 5) „על שם שלמה“.

6) Vide II Sam. 23, 1. — 7) Vide Eccles. 1, 1.

auctorem libri Ecclesiastae, quam Davidem cygneae orationis II Sam. 23, 1—7. Neque usquam in Talmude alius librorum Proverbiorum, Cantici, Ecclesiastae agnoscitur auctor praeter Salomonem.[1]

Vox memorialis ימשק, hoc loco inserta, quam nos consulto in textu omisimus, composita est e literis initialibus verborum ישעיה, משלי, שיר השירים, קהלת. Illud autem קנדג, quo postea significantur libri a viris Synagogae magnae conscripti, constat e literis delectis nominum יחזקאל, שנים עשר, דניאל, מגלת אסתר, propterea, quia initialium literarum tres sunt eaedem atque in voce ימשק.

Reliquum est ut consideremus libros Ezechielis, Duodecim, Danielis, Esterae, Ezrae, Chronicorum, quorum quatuor priores Barajtha viris Synagogae magnae adscribit.

Ezechielis de libro Raschi „Nescio, ait, cur non scripserit Ezechiel librum suum ipse, nisi forte propterea, quia vaticinium literis mandare extra Terram Sanctam non licuit". Cui in Tosaphoth jure objicitur, Jeremiam qui item vaticinatus sit extra Palaestinam, conscripsisse oracula sua. Neque in Talmudibus usquam traditur, vetitum fuisse literis mandare vaticinia extra Palaestinam. Itaque fallitur Raschi. Ezechiel nullam aliam ob causam existimatur libri sui scriptor non fuisse, nisi quia non profitetur se librum scripsisse. Etenim non scriptores erant prophetae, sed praedicatores Verbi Divini. Quare etiam vaticinia duodecim prophetarum ab ipsis literis consignata esse negatur. Accedit quod Barajtha non agnoscit duodecim prophetarum totidem libros, sed librum unum. Hinc unum Tannaei quaesiverunt scriptorem, qui Haggaeo, Zachariae et Malachiae non potuit aetate esse superior, itemque non multo posterior, quia temporibus Ezrae omnes Scripturae Sacrae libros fuisse perscriptos constabat.

---

1) Wrightius p. 457 falso: „Fürst maintains that the Hezekiah mentioned in Baba bathra as having written or edited the books of Isaiah, Proverbs, the Songs of Songs and Koheleth, was Ḥananyā ben-Ḥiskiyā ben Garon". Suspicatus modo est Fuerstius, solum librum Ecclesiastae esse compositum ab illo חנניה בן חזקיה וסיעתו (Sanhedrin 13b), quae conjectura omni fundamento caret.

Quaerentibus viri Synagogae magnae se praebebant, quippe qui aut ipsorum in numero postremos habuerint prophetas,[1] aut ab illis edocti sint.[2] Iisdem viris liber Danielis, qui fuit ex prophetis postremis, erat adscribendus. Quod enim illic[3] dicitur de libro a Daniele scribendo atque abscondendo, non ad totum nostrum librum poterat referri, sed ad unum quoddam vaticinium. Ac librum Esterae propterea arbitrati sunt a viris Synagogae magnae scriptum esse, quia Mardochaeum libri Esterae confundebant cum Mardochaeo libri Ezrae,[4] cujus nomen מרדכי בלשן fuisse opinati sunt.[5] Mardochaeus autem libri Ezrae illis videbatur aut unus esse e viris Synagogae magnae,[6] aut unus et prophetis illius temporis.[7]

Synagogam magnam Fuerstius,[8] Blochius[9] et Wrightius[10] opinantur, consilium fuisse judicum, quod floruerit ab Ezra (458) usque ad Simonem II pontificem (196), i. e. trecentos fere annos. Adversantur Kuenen Lugdunensis[11] et Robertson Smith Scotus,[12] qui Synagogam magnam, quae per longum tempus senatus credatur fuisse Judaeorum, meram fictionem esse asseverant. Revera ipsi Judaei non existimaverunt, Synagogae magnae institutionem per tot secula per-

---

1) Vide jer. Berachoth 2, 4. Chagiga 3, 8. Meg. 1, 7.

2) Vide Aboth 1. et Seder ha-Kabbala.

3) Vide Dan. 12, 4. — 4) Vide Ezra 2, 2. Nehem. 7, 7.

5) Vide Megilla 15a, Menachoth 65a, Targum ad Canticum 7, 3, Jalkut ad Ezra 2, 2 et commentarios Raschii et Jechielis Hillel ad eundem locum.

6) Vide Menachot 65a et Seder ha-Kabbala.

7) Vide Megilla 15a et Seder Olam cap. 20: מרדכי היהודי וחגי זכריה ומלאכי כולם נתנבאו בשנת ב׳ לדריוש:

8) Vide *„Kanon“* p. 57. — 9) Vide *„Studien“* p. 100—132.

10 Vide *„Koheleth“* p. 6—10. 475—87.

11) Vide ejus „Over de Mannen der Groote Synagoge“. Mededeelingen der Kon. Akad. v. Wetensch. 1876.

12) Vide ejus „The old Testament in the Jewish Church“ p. 156. 7. 408. 9. „The origin of the legend of de Great Synagogue is derived from the account given in Neh. 8. 9 of the great Convocation which met at Jerusalem and subscribed the Covenant to observe the Law. It was, therefore, a meeting and not a permanent authority“.

13) Vide „Mass. ha-Mass“ ed. Ginsburg p. 108.

mansisse. Elias Levita in Massoreth ha-Massoreth[13] sententiam Rabbinorum veterum recte exprimit dicens, Synagogam magnam non diutius quadraginta annis reipublicae Judaeorum praefuisse. Simon enim Justus, pontifex ille Hierosolymitanus, qui unus de postremis sodalibus Synagogae magnae fuisse perhibetur,[1] vixit aetate Alexandri Magni.[2] Alexander Magnus autem Dario regi Persarum successisse in regno putatur. Etenim nonnisi tres Persarum reges recensent Rabbini, Cyrum, Ahasverum, Darium,[3] cujus anno tricesimo altero vel tricesimo quarto et prophetae postremi e vita excesserint et Alexander Persarum regnum invaserit.[4] Si regesseris, Simonem Justum non vixisse aetate Alexandri, respondemus, Judaeos Simonem illum non adnumeraturos fuisse viris Synagogae magnae, nisi credidissent eum vixisse aetate Ezrae et Alexandri. Aliud autem argumentum, quo probetur, Synagogam magnam permansisse mortuo Ezra, e Talmudibus afferri nequit. — De numero virorum Synagogae magnae, utrum fuerint 85[5] an 120,[6] hic disserere non attinet. Certo Barajtha, quae viros Synagogae magnae habet ante Ezram, vix credidit, eos composuisse libros suos post Ezrae obitum.

Accedamur ad eos libros, quos Ezram scripsisse ait Barajtha. „Ezra — inquit — scripsit librum suum". Libri enim Ezrae et Nehemiae a Judaeis uno volumine, cui nomen

1) Vide Aboth 1, Aboth de R. Nathan 4.

2) Vide Menachoth 69[a], Vajikra rabba 13, 5, Seder ha-Kabbala.

3) Vide Seder Olam cap. 28.

4) Vide Aboda zara 9[a]: מלכות פרס בפני הבית שלשים וארבעה שנה׳ מלכות
יון בפני הבית מאה ושמונים שנה: Mischpete ha-Teamim ed. Baer-Strack. § 70:
ספר שנים עשר נביאים * * * * * מן עזיהו המלך עד השנה שבא אלכסנדר:
Seder Olam rabba c. 30: הצפיר השעיר * * * * * הוא אלכסנדרוס המקדון שמלך
י״ב שנה׳ עד כן היו הנביאים מתנבאים ברוח הקדש׳ מכאן ואילך הט אזנך
ושמע דברי חכמים: Seder Olam zuta: בשנת חמשים ושתים למדי ופרס מת׳
חגי זכריה ומלאכי * * * * * * אלכסנדרוס מקדון מלך יון מלך שתים ועשרה שנה:
חזר זרובבל לבבל ומת שם ׳עמד אחריו משולם בנו ובימיו מלכה מלכות יון:
Seder ha-Kabbala: שמעון הצדיק ושמו עדו בן יהושע בן יה׳צדק הכהן הגדול
בימיו נשמדה מלכות פרס על ידי אלכסנדרוס מלך יון ובאותו הזמן נפטר
עזרא הסופר וחגי וזכריה ומלאכי:

5) Vide jer. Megilla 1, 7.

6) Vide jer. Berachoth 2, 4, babli Megilla 17[b].

libri Ezrae imponebatur, comprehendebantur.[1] Quapropter Barajtha non nisi de uno totius libri scriptore cogitat. Libri Ezrae עזרא הסופר[2] fuisse auctorem, non Nehemiam, extra dubitationem positum esse videbatur. Inscriptione דברי נחמיה[3] non indicari putabant, scripsisse Nehemiam, quin potius, narravisse quae sequuntur. Mirans Gemara,[4] Nehemiam posthabitum esse, suspicatur, id factum esse, quia honoris paulum studiosior fuerit.

Jam redimus ad ea quae Barajtha perhibet de libro Chronicorum. Ezram ait composuisse genealogias libri Chronicorum. In hoc nihil est absoni. Jure enim Ezra habebatur puritatis generum ordinisque propaginum studiosus.[5] At quaerendum est, cur Barajtha nihil dicat de auctore reliqui libri, quem pro mera appendice genealogiarum vix quisquam habuerit. Nimirum per יחס בדברי הימים partem libri indicat, non totum librum. Auctor Barajthae, ut videtur, ponit, originem partis majoris libri Chronicorum inter omnes constare. Verum Gemara, Nehemiam docens librum Chronicorum perscripsisse, non recte judicat. Id enim minime poterat per se intelligi; immo, si ita judicasset Barajtha, id ipsum dicere debebat. Nobis persuasum est, librum Chronicorum (דברי הימים) habitum esse pro libro Chronicorum regum Judaeorum (ספר דברי הימים למלכי יהודה),[6] cui Ezra modo adjunxerit chronologias suas. Sane quidem e Talmudibus argumentum, quo id probemus, afferre non possumus. Verum etiam nihil ibi reperitur, quod conjecturae nostrae adversetur, excepta Gemara Barajthae quam tractamus. David Kimchi (רד״ק) in praefatione commentarii in librum Chronicorum non multum

1) Vide in libro „Ezra et Nehemia" ed. Baer-Delitzsch p. 110: „In codicibus omnibus nec non in priscis editionibus Nehemia et Ezra unum librum efficiunt, quod inscribitur ספר עזרא."

2) Vide Ezra 7, 6. — 3) Vide Neh. 1, 1.

4) Vide Sanhedrin 93b: כל מילי דעזרא נחמיה בן חכליה אמרינהו ונחמיה בן חכליה מאי טעמא לא איקרי ספרא על שמיה: אמר רב ירמיה בר אבא׳ מפני שהחזיק טובה לעצמו שנאמר זכרה לי אלהי לטובה:

5) Vide Ezra c. 9. 10 et Kidduschin 69b: אמר ר׳ אלעזר׳ לא עלה עזרא מבבל עד שעשאה כסולת נקייה ועלה:

6) Vide I Reg. 14, 29 et multos alios locos in libris Regum.

abest a sententia nostra. Dicit enim: ואמרו רבותינו כי זה הספר כתב עזרא ובאמת קודם עזרא נכתבו דברי הימים למלכי יהודה כמו שנאמר בספר מלכים אלא שלא חובר עדיין לכתבי הקדש אלא שהיה נכתב ספר לבדו בדברי הימים למלכי יהודה׃ וכן יחס בזה הספר עזרא המלכות עד זרובבל׃. Dissentire Barajtha in eo solo videtur, quod Ezrae plura quam ille dicit esse adscribenda. Barajtha enim non tradit ut ille, Ezram perduxisse ad finem genealogiam gentis Davidicae, sed Ezram scripsisse omnes libri Chronicorum genealogias עד לו. — Quaenam autem complexa est haec genealogia? — Certe non confundenda est cum ספר יוחסין,[1] ut Fuerstius falso judicat.[2] Ille enim liber Genealogiarum videtur fuisse commentarius haggadicus libri Chronicorum[3] pervetustus, temporibus Amoraeorum a lectione publica remotus. Atque Talmud Hierosolymitanum in Pesachim 5, 3 omnino non de libro Genealogiarum loquitur, ut ait Fuerstius, sed de eo modo interpretationis vel orationis qui dicitur Haggada.[4] — Rabbenu Chananel in Tosaphoth illud עד לו refert ad II Chron. 21, 2, ubi de Joramo dicitur ולו אחים בני יהושפט. Sed jam ipsi Tosaphistae non assentiunt. Recte ajunt, Barajtham, si haec esset ipsius sententia, dicere debuisse עד ולו. Neque intelligitur, cur traditio perhibuerit, tantummodo ad hunc usque locum Ezram scripsisse. Raschi[5] censet, eum scripsisse usque ad suam ipsius genealogiam,[6] quae descripta est in I Chron. 5, 30—41, ubi Zerajae, patris Ezrae, fit mentio, et in I Chron. 9, 11, ubi enumerantur majores Ezrae usque ad avum Azarjam. At vero non perspicimus, cur alteroutro horum locorum Ezra finem fecerit scribendi. Nos arbitramur, עד לו significare „usque ad ipsius aetatem“.

---

1) Vide Pesachim 62b: אמר רב מיום שנגנז ספר יוחסין תשש כוחן של חכמים וכהה מאור עיניהם׃

2) Vide „*Kanon*“ p. 119.

3) Raschi dicit in commentario ad locum: מתניתא דדברי הימים.

4) Vide jer. Pesachim 5, 3: רבי שמלאי אתא גבי רבי יונתן אמר ליה אלפן אגדה׃ אמר ליה מסורת בידי מאבותי שלא ללמד אגדה לא לבבלי ולא לדרומי שהן גסי רוח ומעוטי תורה׃

5) Idem sentiunt Rabbenu Gerschom ben-Jehuda (init. sec. XII.) et Rabbi Jom Tob ben-Abraham (ריטב"א), qui vixit seculo decimo quarto.

6) Raschi: „עד שיחס עצמו.“

Hoc sibi vult Barajtha, Ezram scripsisse genealogias libri Chronicorum omnes usque ad ipsius tempora, itaque libri Chronicorum primi novem capita prima. Forsitan objeceris, Barajtham debuisse dicere עדיו. At in sermone Talmudico aeque atque in Syriaco pronomen personale nunquam suffigitur particulae עד; pro עדי, עדיו vulgo dicitur עד לי, עד לו et sic porro.

F.

מסייעא ליה לרב ······· נפלאות:

De Gemara huic loco Barajthae adjuncta pauca sufficiant. Ad illustrandam Barajtham parum valet.

Quod initio dicit Rabh de Ezra genealogiam suam scribente ante profectionem in Palaestinam, non attingit Barajtham. Haec enim de genealogiis libri Chronicorum agit, ille de genealogia Ezrae, quam liber Ezrae narrationi abitus ejus in Palaestinam praemittit.[1] — De libro Chronicorum a Nehemia, ut Gemara sumit, ad finem perducto, supra sermo fuit.

Sententia sive Rabbi Judae sive Rabbi Nehemiae de postremis Thorae versibus cum Barajtha concordat; item quae profert Rabh de ratione recitandi versus illos, Barajtham solam sequi videntur, non, ut Gemara falso dicit, sententiam Rabbi Simeonis, qui octo illos versus adscribit Mosi.

Bene disserit Gemara de viris, qui libros Josuae et Samuelis absolverint. Sicut Moses non potuit narrare obitum suum, ita Josuae obitum non ipse retulit, sed Elazar, qui ex aequalibus vita eum superavit; Elazaris autem mortem Pinehas senesque superstites memoriae prodiderunt.[2] Illud mirabere, duos commemorari viros, qui libri Samuelis scripserint postrema. Haec opinio nititur testimonio Chronistae, qui I Chron. 29, 29 adnotat: ודברי דוד המלך הראשונים והאחרנים הנם כתובים על דברי שמואל הרואה ועל דברי נתן הנביא ועל דברי גד החוזה:, quae Gemarae de libro Samuelis canonico dici visa sunt.[3]

1) Vide Ezra 7, 1—5. — 2) Vide Josua 24, 31, 33.

3) Confer נתן הנביא et גד החוזה in Gemara cum iis quos allegavimus verbis.

Quod Rabh profitetur de Ethano, in numero decem senum omisso, Barajtham bene illustrat. Etiam in iis quae sequuntur, fortasse recta conjectura inest. Nam si Barajtha Ethanum primi libri Regum[1] pro Abrahamo habebat, certo etiam Hemanum ejusdem loci confudit cum Mose; id quod faciunt Jalkut et Raschi ad I Reg. 5, 11. Heman igitur psalmi octogesimi octavi, quem Barajtha una cum Mose inter senes illos enumerat, alius homo ejus nominis fuit, isque Davidis aequalis.

De tempore quo vixerit Jobus, multorum sententias Gemara colligit, quarum nonnullae adstipulantur Barajthae, aliae repugnant. Omnia rerum Israeliticarum secula ab Isaaco usque ad Ahasverum perlustrantur. Est etiam qui dicat, Jobum omnino non exstitisse. Dijudicare Gemara non audet.

Porro disceptat, fueritne Jobus homo e gentibus, quod Tannaeorum plerique infitiantur. Denique disserere incipit de aequalibus Jobi. Sed hic subsistimus. Nam quae sequuntur nihil valent ad illustrandam Barajtham.

1) Vide I Reg. 5, 11.

IV.

De auctoritate Barajthae.

Per se vix credibile est, Barajtham seculi secundi p. Chr. n. novisse aliquid certi de vera librorum sacrorum origine vel de prisco atque primo eorum ordine. Insuper commentatio nostra demonstravit, Barajtham nihil continere, quod non potuerit colligi e libris Scripturae Sacrae ipsis, quales adhuc exstant, idque partim per captiones arbitrarias et conclusiones fallaces.

At juvat adjicere quaedam de auctoritate, quam illa Barajtha obtinuerit apud Judaeos. Quod investigaturi necesse est discernamus in illa duas partes, quarum altera praecipit ordinem, quo scribendi sint libri sacri, altera enumerat homines, qui eos composuerint. Haec utpote ad illustrandam Scripturam Sacram pertinens Haggadae prae se fert speciem, illa, quae legem praescribit, pars est Halachae.

Partem halachicam Barajthae Blochius affirmat[1] nunquam valuisse apud Judaeos ideoque apocrypham eam esse habendam. At fallitur. Jam Gemara Barajthae auctoritati se submittit. Enodare studet, quae non intelligit. Obloquitur nunquam.

Judaei posterioris temporis, sciscitantes, quam Barajtham tanquam legem sequi oporteat, hocce praecipiebant: „Omnis Barajtha, de qua non disceptat Gemara, valet“.[2] Quod praeceptum secuti, omnes Judaeorum „Decisores“ (פוסקים) illustres

---

1) Vide „*Studien*“ p. 19.

2) Vide Mebo ha-Talmud Samuelis ha-Nagid: מה שלא נחלקו עליו מכל הדברים האלה היא הלכה מקוימת, et Seder Tannaim va-Amoraim: כל ברייתא שאין חולקין עליה בתלמוד הלכה כמותה:

ordinem a Barajtha traditum religiose observandum esse statuunt. Vide Maimonidis (sec. XII.) opus Mischne Thora,[1] Ascheri ben-Jechiel (sec. XIV.) commentarium in Babae bathrae cap. 3 extr., Jacobum ben-Ascher (sec. XIV.) in opere Arba Turim[2] et Josephum ben-Ephraim Karo (sec. XIV.) in opere Schulchan Aruch.[3]

Quaeris, quae cum ita sint, qui factum sit, ut ex omnibus Scripturae Sacrae libris manuscriptis tam pauci, quos Strackius enumerat,[4] ordinem a Barajtha sancitum exhibeant. Item Elias Levita in praefatione tertia ad Massoreth ha-Massoreth ait, Judaeos Germanicos et Gallicos solos Barajtham sequi idque solummodo in Prophetis.

Praesto est quod respondeamus: Massoretae, qui Karaeorum similes sola ea praecepta Talmudis sequebantur, quae illis probabantur, alium praescripserunt ordinem librorum, quem Elias Levita loco citato dicit esse huncce: Josua, Judicum, Samuelis, Regum, Jesajas, Jeremias, Ezechiel, Duodecim, Chronica, Psalmi, Jobus, Proverbia, Ruth, Canticum, Ecclesiastes, Threni, Ester, Daniel, Ezra. — Nexum librorum Regum et Jeremiae negligentes Jesajam collocaverunt ante Jeremiam. Librum Chronicorum, quippe qui ab Adamo caperet initium, primo in loco positum, secuta sunt tria majora illa Hagiographa poëtica, Psalmi, Jobus, Proverbia. Hagiographis minoribus, quae pridem erant tria, addiderunt libros Ruth et Ester, unde factum est, ut Canticum utpote melius congruens cum libro Ruth, praeposuissent Ecclesiastae. Libri Danielis et Ezrae agmen clauserunt.

Tanta vero Massoretarum fuit auctoritas in rebus, quae ad Scripturam Sacram pertinent, ut plerique, inprimis Judaei Hispanici,[5] eorum mallent sequi praecepta, quam Tannaeorum. Judaei Germanici, hac in re auctoritatem nec Talmudis nec

1) Vide Hilchoth Tephillin u-Mezuza ve-Sefer Thora 7, 15.

2) 3) Vide Tur Joreh Dea 283, 5.

4) Vide RE ed. II. tom. VII p. 412 sqq.

5) Vide Eliae Levitae praef. III. ad Mass. ha-Mass. et Davidis Kimchi (רד"ק) praefationem ad Jeremiam: בכל הספרים הטובים אשר ראינו שנכתבו בספרד מכמה שנים סדרם לפי זמנם ישעיהו קודם לירמיהו וכן ירמיהו קודם ליחזקאל:

Massorae agnoscentes, adeo novum Hagiographorum instituerunt ordinem. Primum locum apud illos tenent tres magni libri poëtici, inter quos Proverbia praecedunt Jobo, quia liber Salomonis excipere librum Davidis consentaneum est. Altera pars Hagiographorum continet quinque minora Hagiographa, eo disposita ordine, quo diebus festis solent recitari.[1] In extremo collocantur tria Hagiographa majora historica, Daniel, Ezra et Chronica.

Haggadica pars Barajthae jam apud Amoraeos non idem valuit. Gemara sententiam Barajthae aliorum sententiis contrariis anteponendam esse nusquam postulat. Itaque posteris omnibus licuit sentire de librorum sacrorum origine, quodcunque ipsis arriserit, quas opinionum varietates congerere nostri non est. Illum solum locum libri Mischpete ha-Teamim, jam a codice Mosis ben-Ascher Cairino anni 895 exhibitum, hic describimus, qui omnibus partibus cum Barajtha concordat, nisi quod substituitur collegio Hiskiae Jesajas, omittitur sectio Bileamica.[2]

„Moses vir Dei, prophetarum princeps, scripsit Pentateuchum et librum Jobi. Josua scripsit librum suum et octo versus Thorae a verbis „ibique mortuus est Moses, servus Domini“ usque ad finem Thorae. Samuel propheta, cujus memoria sit benedicta, scripsit librum suum et librum Judicum et Ruth. Jesajas scripsit librum suum et Proverbia et Canticum et Ecclesiasten. Jeremias scripsit librum suum et librum Regum et libellum Threnorum. David, cujus memoria sit benedicta, et decem senes confecerunt librum Psalmorum. Viri Synagogae magnae et inter eos Haggaeus et Zacharias scripserunt librum Ezechielis et Duodecim et librum Danielis et libellum Ester. Ezra scriba confecit librum suum et genealogias Chronicorum.[3]“

---

1) Canticum (die octavo Paschatis), Ruth (die altero Pentecostes), Threni (nono die mensis Ab), Ecclesiastes (tertio die festi Tabernaculorum), Ester (diebus solemnitatis Purim). Sequuntur igitur secundum ordinem mensium quo praeleguntur: Nisan, Sivan, Ab, Tischri, Adar.

2) Vide Mischp. ha-Team. ed. Baer-Strack § 70.

3) עזרא הסופר כתב ספרו ויחוס דברי הימים.

Lipsiae, impr. Ackermann et Glaser.